EPITOME
THEOLOGIAE MORALIS
AD
CONFESSARIORUM
EXAMEN EXPEDIENDUM

OPERA

MICHAELIS MANZO

SACERDOTIS NEAPOLITANI, EJUSDEM DIOECESIS
NEAP. EXAMINATORIS

DIGESTA

Tertia editio emendatior, atque auctior.

Addito Illmi, et Rmi Domini Josue de Costanzo Neap. Ecclesiae Cathedralis Canonici, Seminarii Urbani Rectoris, ac Examinatoris pro-Synodalis Tractatu *De Monialibus*.

PARS II.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA PASCHALIS TIZZANO.
1841.

TRACTATUS

DE RELIGIONE.

Q. 1. *Quid est Religio?* (1).

Est virtus moralis inclinans hominem ad exhibendum cultum Deo debitum, tamquam supremo omnium principio, et fini.

2. *Quodnam sit objectum Religionis?*

Objectum *Cui* est ipsemet Deus; objectum materiale seu *Quod*, est cultus Deo debitus; objectum formale seu *Quo*, est infinita Dei excellentia.

3. *Quotuplicis generis sunt actus Religionis?*

Duplicis generis sunt: interni, et externi. Interni sunt illi, qui in animo complentur: cujusmodi sunt oratio, et devotio. Externi dicuntur, qui actione externa perficiuntur: sicuti est juramentum, votum, laus Dei, adoratio, sacrificium, oblatio, primitiae, decimae (2).

De Juramento.

4. *Quid est Juramentum?*

Est invocatio Divini Numinis in testimonium veritatis (3).

(1) Religio apud Lactantium dicta est a *religando*, quia nempe per eam *religamur*, seu ligamur Deo. S. Isidorus vero post Ciceronem eam appellat a *relegendo*, quia scilicet per eam releguntur omnia ad cultum Dei pertinentia.

(2) In hoc autem tractatu sermo erit tantum de juramento, et voto.

(3) Ex D. Thom. 22. q. 89. a 1. et ex eodem juramentum dicitur a jure, quia quod juramento asseritur, aut promittitur, tamquam firmissimum jus existimandum est.

5. *Quotuplici modo possit fieri invocatio divini Numinis?*

Duplici modo: expresse, et tacite. Expresse, quando Deus invocatur expressis verbis: uti, *invoco Deum*; *testis est mihi Deus.* Tacite seu virtualiter, quando invocatur aliqua creatura, in qua aliquod Dei attributum specialiter elucet: uti, *testes invoco Coelum*, *et Terram*, ex Deutoronomii cap. 3. (1).

6. *Quaenam differentia intercedit inter juramentum, et adjurationem?*

In juramento venit Deus uti testis, in adjuratione venit uti objectum timoris, vel amoris; in primo jurans apponit sibi Deum, in secundo adjurans apponit Deum aliis. Primum est obligatorium, secundum non est tale (2).

7. *Quotuplex est juramentum?*

Multiplex esse potest: verbale, et reale; simplex, et solemne; judiciale, et extra-judiciale. Primum, quod fit verbis; secundum, quod fit aliqua actione, quae juramentum exprimit. Solemne, quod fit aliqua formali solemnitate; simplex sine ista. Judiciale est factum coram judice legitime interrogante; extrajudiciale, quod non fit in judicio. Denique potest esse assertorium, promissorium, comminatorium, et execratorium. Assertorium est illud, quo confirmatur dictum, vel factum de re praeterita, vel praesenti; promissorium, quo confirmatur, quod promittitur; comminatorium, quo quis aliquid mali comminatur alicui; execratorium, quo jurans imprecatur a Deo vindice falsitatis aliquod malum sibi, vel suis caris, si sit falsa sua assertio.

---

(1) Invocatio cujuscumque creaturae, cui addatur nomen *Dei*, vel vocabulum *sancti*, juramentum est; quia tunc creaturae nomen immediate refertur ad Deum. Hujusmodi esset haec invocatio: *per istum panem Dei*, *per istum panem sanctum.* E contrario non sunt juramenta per se spectata: *in mea conscientia*; *in conscientia animae meae*; *per fidem meam*, *per fidem Sacerdotis*, quia nullam relationem immediatam dicunt ad Deum.

(2) Adjuratio est contestatio Dei, vel rei sacrae ad alium movendum.

8. *Qnid requiratur ad licite jurandum?*

Tria: scilicet veritas, judicium, et justitia (1), juxta illud Jeremiae cap. 4. *Jurabis: vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.* Hinc juramentum sic factum est actus Religionis, et patet ex Deuter. cap. 6. *Illi soli servies, et per nomem illius* (Dei) *jurabis.*

9. *In veritate juramenti assertorii potestne dari parvitas materiae?*

Minime. Nam veritas consistit in indivisibili, et gravissima injuria irrogatur Deo, si adducatur in testem mendacii utcumque levis; uti patet etiam ex propositione damnata ab Inn. XI. (2). Hinc nec etiam potest quis juramento asserere uti certum, id, quod ipse non novit, sed ab alio, etsi fide digno, dictum est (3).

10. *Quodnam peccatum sit jurare sine animo jurandi?*

Si sine animo jurandi juratur verum, est peccatum leve; quando obligatio deest jurandi (4); si juratur falsum, est peccatum grave; quia externa saltem invocatione adducitur Deus in testem mendacii.

11. *Potestne juramentum fieri cum restrictione mentali?*

Cum restrictione pure mentali non potest; quia esset verum perjurium: uti constat ex prop. damna-

---

(1) *Veritas*, ne adducatur Deus in testimonium falsitatis; *Judicium*, ne juretur sine consideratione, necessitate, et utilitate; *Justitia*, ne invocetur Deus in confirmationem rei, vel dicti injusti.

(2) Prop. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. Hinc hoc etiam dicendum, si cum dubio, vel cum persuasione falsitatis, etsi sit reapse verum, quod juratur.*

(3) Ex cap. *Testes* 3. q. 9. *quia quando* juramus, ea, quae vidimus, juramus.

(4) Adest enim obligatio jurandi verum in judicio, in contractibus, in casibus obligatoriis ad juramentum, praecise si damnum grave proximo immineat; tunc sane obligatio est gravis.

tis ad Inn. XI. (1). Cum restrictione mixte mentali potest: dummodo non adsit obligatio manifestandi veritatem: uti coram judice legitime interrogante (2).

12. *An reus teneatur absque restrictione mixte mentali manifestare delictum judici legitime interroganti, etiamsi gravissimum damnum subiret?*

Litigium inter DD. At qui negant, sic probant. Jus humanum non potest destruere jus naturale, nec leges humanae obligant, quando sunt valde difficiles. Quando igitur adest probabilis spes evadendi poenam, potest reus quaerere medium evadendi periculum, quia naturale jus id ei suadet (3).

13. *In veritate juramenti promissorii daturne parvitas materiae?*

In intentione promittendi non datur; quia secus juramentum esset super mendacium. In adimpletione rei promissae: quando materia rei promissae est gravis, et in parva quantitate non adimpletur, datur; quando vero totalis materia rei promissae est levis, et non adimpletur, an possit dari parvitas materiae, litigant DD. (4).

14. *An peccet, qui sine judicio jurat?*

Si deficiat judicium, quatenus jurans non con-

---

(1) Prop. 26. *Si quis . . . juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit . . . revera non mentitur nec est perjurus.* Idem in prop. 27. et 28. Quid sit restrictio pure, et mixte mentalis; vide in Tractatu de Peccatis n. 101.

(2) Qui utitur restrictione mixte mentali, non debet intendere audientis deceptionem, sed tantum veritatis occultationem.

Judex autem dicitur legitime interrogare, quando in interrogatos habet legitimam auctoritatem quomodocumque procedendi, aut via accusationis, aut denuntiationis, aut inquisitionis.

(3) Hoc dicunt de poena temporali, non spirituali. Nam poena spiritualis vertitur in bonum ipsius delinquentis, et reparatur per poenitentiam.

(4) Lege D. Lig. lib. 3. n. 173. Ex Salmanticensibus datur, sive sit parvitas partialis, sive totalis; quia non adimplens tantum infideliter agit.

siderat, utrum sit verum, vel falsum, quod jurat, peccat graviter vel leviter prout est negligentia. Si vero deficiat judicium, quatenus sine necessitate, aut utilitate jurat, leviter peccat (1).

15. *Quomodo peccet, qui habet consuetudinem jurandi?*

Si habet consuetudinem jurandi, et non mentiendi, peccat leviter ex defectu judicii. Si habet consuetudinem jurandi, et mentiendi, etiamsi sejunctim, peccat graviter; quia se exponit periculo pejurandi.

16. *Estne peccatum grave defectus justitiae in juramento?*

Vel juramentum est de re graviter injusta, peccatum grave est; quia graviter injuriosa est Deo ejus invocatio in testimonium gravis iniquitatis. Vel est de re leviter injusta, utrum sit peccatum grave, an leve, litigant DD. (2).

17. *Adestne obligatio servandi juramentum?*

Maxime ex virtute Religionis: dummodo sine peccato, et damno tertii servari possit. Hinc haec obligatio in dubio est semper strictius interpretanda in favorem Religionis.

18. *Obligatne fictum juramentum promissorium?*

Vel hoc juramentum est sine animo jurandi, non obligat ex se (3). Vel hoc juramentum est sine animo se obligandi; an obliget, quaestio inter Theologos. Vel sine animo exequendi, obligat quidem; quia intentio executionis est accessoria obligationi.

19. *Ut juramentum obliget, de quanam re esse debeat?*

De re bona, honesta, et possibili (4).

---

(1) Litigant DD., an in primo casu sit perjurium. Ita D. Lig. lib. 3. n. 145. Sanchez lib. 3. cap. 6. n. 22.

(2) Ex Fulco cum aliis dicitur peccatum leve, si fiat absque contumelia, et periculo perjurii; quia levis est irreverentia, quae Deo irrogatur. Contrarium tenentes docent, grave esse peccatum; quia semper gravis injuria Deo affertur eum invocando in testimonium injustitiae, etsi parvae.

(3) Potest obligare ex scandalo, vel damno, quod afferre posset.

(4) Juramentum de quacumque re injusta, etiam levi,

20. *Quid si juramentum sit de aliqua re per legem prohibita ?*

Vel hoc juramentum est de re prohibita per legem naturalem, aut Divinam, aut humanam ob bonum commune, vel tertiae personae, non obligat. Vel de re prohibita per legem humanam ob bonum ipsius jurantis, obligat; quia unusquisque potest cedere juri suo.

21. *Estne licitum, et obligatorium juramentum contra consilia Evangelica ?*

Minime: quia non est de materia sufficienti ad juramentum (1). At si hoc juramentum fiat homini, est obligatorium; quia in juramento promissorio homini facto tantum requiritur, ut promissio sit de re honesta, et utili promissario (2).

22. *Quaenam conditiones implicite continentur in omni juramento promissorio, etsi absolute facto ?*

Plures scilicet, *si potuero*; *salvo jure*, *et auctoritate Superioris*; *nisi obligatio remissa fuerit*; *re non notabiliter mutata* (3).

23. *Juramentum comminatorium estne licitum, et obligatorium ?*

Si poena est justa, et non causativa majoris mali, et causa punitionis subsistit, est licitum (4), et obligatorium. Secus, non est licitum, neque obligatorium.

---

non obligat; quia juramentum non est vinculum iniquitatis.

Juramentum promissorium Deo factum includit tacitam rationem voti.

An haec juramenti obligatio transeat ad haeredes, lege num. 46. in Tractatu de Contractibus.

(1) Ex D. Thoma 22. q. 86. a 7. Hinc jurans se non ingressurum Religionem, peccat, et non tenetur ad juramentum.

(2) Hinc qui sponsalia juramento confirmat, licet sit juramentum contra coelibatum, tenetur; quia factum est homini de re honesta.

(3) Quod a Glossa eruitur ex cap. *Quemadmodum* de jurejur.

(4) Dummodo adsit animus infligendi justam poenam comminatam stante justa causa; quia secus deesset veritas in intentione.

24. *Num licitum sit juramentum execratorium?*
Maxime: dummodo omnia requisita ad juramentum concurrant. At magnopere abstinendum est ab hoc juramento ratione scandali, quod assolet oriri.
25. *Quinam possunt jurare?*
Extra judicium omnes rationis compotes; in judicio excluduntur impuberes, perjuri, infames, socii ejusdem criminis. Sacerdotes non possunt compelli ad juramentum ob levem causam (1).
26. *Quibus modis tollitur obligatio juramenti?*
Sequentibus: scilicet, notabili mutatione materiae; condonatione habita; legitima irritatione, relaxatione Superioris legitimi: dummodo non sit juramentum in favorem tertii; quia tunc non potest relaxari, nisi in hisce casibus: nempe 1.° ob bonum commune; 2.° in poenam promissarii; 3.° ob rationem injuriae juranti illatae.

De Voto.

27. *Quid est votum?*
Est spontanea, et deliberata promissio Deo facta de meliori bono (2).

---

(1) Quia debet lex eis fidem habere sine juramento. Si Sacerdos compellatur ad juramentum, debet in manu Episcopi jurare ex Can. *Nullus Clericus*. Can. 11. q. 1.; secus autem, si voluntarie juret, vel in aliquibus casibus a lege requisitis.

(2) Dicitur *spontanea*, *et deliberata promissio*, quia requiritur voluntas cum plena advertentia, et libero consensu se obligandi ad promissum. *De meliori bono*, quatenus sit votum de re meliori suo opposito: sive oppositum sit per se, idest revera bonum; sive per accidens, idest malum, seu peccatum; sive negative; quatenus scilicet omissio rei non praeceptae. Hinc votum differt a juramento, quatenus votum est de meliori bono, juramentum de re bona; votum habet Deum uti promissarium, juramentum uti testem. Differt etiam votum a simplici promissione, quatenus votum fit tantum Deo, est de meliori bono, et ex virtute Religionis obligat. Promissio fit etiam homini, sufficit esse de re bona, obligat ex fidelitate, aut ex justitia.

28. *Quotuplex esse potest votum?*

Multiplex: 1. reale, personale, et mixtum, prout promittitur res, actio personalis, vel utrumque. 2. Solemne, et non solemne: primum est, quod aliqua solemnitate fit, et ab Ecclesia publice, absolute, et perpetuo acceptatur (1); secundum, quod absque ista solemnitate fit. 3. Reservatum, et non reservatum: reservatum, quando votum a Summo Pontifice tantum dispensari potest; non reservatum, quando ab aliquo Superiore dispensare potest. 4. Absolutum, et conditionatum: primum est, quando fit votum absque conditione; secundum, quando sub aliqua conditione fit (2). Deinde simplex poenale, et duplex poenale: simplex poenale, quando tantum vovetur poena, si violetur aliquid adimplendum (3); duplex poenale, quando vovetur aliquid faciendum, et poena subeunda, si non adimpleatur (4). Denique perpetuum, et temporale, prout obligatio est in perpetuum, vel ad tempus.

29. *Votum estne obligatorium?*

Maxime; et est de fide, ut patet ex Deuteronomio cap. 23. *Cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi ad peccatum.*

30. *Obligatne votum sub gravi, an sub levi?*

Ex se obligat sub gravi; quia est actus religionis. Potest obligare sub levi ratione parvitatis materiae, vel ex intentione obligantis (5). Contra vero non potest

(1) Cujusmodi est votum in professione Religiosa emissum, et in susceptione sacri Ordinis.

(2) Ex gr. voveo jejunium, si convaluerit pater meus.

(3) Nolo ludere, et si lusero, voveo dare eleemosynam.

(4) Voveo non ludere, et si lusero, voveo dare eleemosynam.

(5) Ex Benedicto XIV. *In resolutione casuum conscientiae* materia reputatur levis, quando aequivalet quinque Pater, quinque Ave, et quinque Gloria Patri. Ex Antoine materia gravis in voto est ea, de qua dari potest praeceptum sub mortali obligans; seu quae per se vel ex circumstantiis

vovens se obligare sub gravi, quando materia est undequaque levis.

31. *Quaenam requirantur ad valorem voti?*

Plura: scilicet, ut sit libera, ac determinata voluntas se obligandi; ut promissio sit de meliori bono, et possibili; et ut res promissa sit in potestate voventis.

32. *Estne validum votum emissum per errorem, vel per dolum?*

Si error, et dolus est circa substantiam, vel qualitates redundantes in substantiam rei votae, votum non est validum. Secus, est validum (1).

33. *Quid si error sit circa causam voti?*

Si error sit circa causam finalem voti, non est validum; si sit circa causam impulsivam, est validum.

34. *Estne validum votum de re indifferenti?*

Si aliquo fine honesto fiat, est validum.

35. *An valeat votum de re honesta ob finem malum?*

Si finis malus sit ex parte rei votae, quatenus emittitur votum tamquam medium ad obtinendum aliquod malum, tunc non valet votum. Si vero finis malus sit ex parte voventis, quatenus emittitur votum ad obtinendum aliquod honestum, sed vovens per accidens finem malum adjungit, tunc valet votum (2).

---

notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis: puta votum jejunii, confitendi, audiendi Missam, est materia gravis, quia de his dari potest praeceptum sub gravi obligans. Tract. de Virt. Relig. cap. 3. quaes. 4. resp. 1. Potest fieri materia gravis ratione finis, vel ratione continuationis, vel multiplicationis actuum promissorum per notabile temporis spatium: uti si quis votum emittat recitandi quinque Ave quotidie per mensem integrum, uti onus illius mensis.

(1) In primo casu non habetur voluntarium: in secundo habetur consensus substantialis.

(2) Finis malus ex parte rei votae habetur, quando res vota dirigitur ad finem malum; et quidem non valet votum, quia votum dirigitur ad malum, non ad Dei gloriam, et

36. *Matrimonium estne materia voti, seu valet votum de contrahendo matrimonium?*

Per se non potest esse materia voti; quia matrimonium non est melius coelibatu. At potest esse materia voti, si necessarium sit ob bonum commune' vel ad aliquod malum reparandum (1).

37. *Estne validum votum de re contraria Evangelicis consiliis?*

Minime; quia non est de meliori bono.

38. *Valetne votum non peccandi?*

Vel est votum non peccandi mortaliter, aut venialiter cum plena deliberatione, valet quidem. Secus, non valet; quia moraliter impossibile est sine extraordinario gratiae auxilio non peccare venialiter cum imperfecta deliberatione (2).

39. *Estne obligatorium votum partim de re possibili, et partim de re impossibili?*

Vel partes totius rei votae sunt separabiles, et aeque principales, et non conjunctim promissae, vovens tenetur ad partem possibilem (3). Vel partes to-

---

vovens vult Deum cooperatorem sibi ad rem malam. Finis malus ex parte voventis est, quando actus voventis dirigitur ad malum; et ideo valet votum, quia bonitas voti non debet desumi ex bonitate actus voventis, sed ex bonitate ipsius rei votae, et ex fine bono intrinseco rei votae. Praeterea notandum, quod votum emissum pro injusta victoria jam obtenta valet, quia a Deo accepta fuit. Sic votum emissum causa evadendi salvum in duello est validum, quatenus consideretur, ut donum Dei, salus obtinenda. Si vero intenditur, Deum cooperatorem habere, nullum et illicitum est votum.

(1) Ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Melius est nubere, quam uri.*

(2) Uti definivit Trid.: scilicet hominem non posse omnia peccata venialia vitare sine speciali Dei privilegio. Sess. 6. Can. 23.

(3) Quia juxta regulam juris 37. in 6. *utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit*; sic si possibile ab impossibili. At si partes non sunt aeque principales, tenetur ad partem possibilem, si haec est principalis; non vero si est accessoria. Salmanticenses apud D. Lig. lib. 3. n. 202.

tius rei votae sunt conjunctim, et per modum unius promissae, non tenetur ad partem possibilem (1). At in dubio, an conjunctim sint promissae istae partes: tunc si pars principalis sit possibilis, ad illam tenetur; quia ruente accessorio non ruit principale; non vero viceversa.

40. *Quid si quis emiserit duo vota incompossibilia eodem tempore servanda?*

Tenetur ad praestantius; si aeque sint praestantia, tenetur ad primum.

41. *Quandonam obliget votum indeterminate emissum sine tempore praefixo?*

Obligat, quamprimum commode impleri possit judicio prudentum, juxta illud Ecclesiastici 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere* (2).

42. *Quid si vovens praevideat votum non posse adimpleri tempore praefixo?*

Vel tempus fuit praefixum ad finiendam obligationem, seu uti onus illius praefixi temporis, non tenetur anticipare adimpletionem voti; quia votum istud non obligat, nisi adveniente tempore. Vel tempus fuit praefixum ad differendam obligationem, tenetur ante tempus adimplere votum; quia jam contracta fuit obligatio.

43. *Votum conditionatum obligatne adveniente conditione, an a principio?*

Vel votum fuit emissum sub conditione impropria, obligat a principio, stante veritate conditionis. Vel votum fuit emissum sub conditione propria, obligat adimpleta conditione.

---

(1) Quia non intendit vovens obligare ad unam partem independenter ab alia; ideoque una ruente etiam aliae partes ruunt.

(2) Quomodo sunt interpretanda vota in dubio: vide num. 33. 34. in tractatu de Conscientia.

Votum indeterminate emissum quoad qualitatem, vel quantitatem, debet determinari ab intentione voventis; aut ex circumstantiis loci, temporis, personae; ex consuetudine: si non possit determinari, sufficit minima quantitas, vel qualitas utilis sub ea promissione contenta; dummodo non sit tam minima, ut irrisoria voti videatur.

44. *Quid si quis emiserit votum sub duplici conditione propria, teneturne ad votum una tantum conditione impleta?*

Si sint hujusmodi conditiones disjunctive appositae, tenetur; si copulative, non tenetur (1).

45. *Num peccet, et teneatur ad votum, qui emittit votum sub conditione a sua voluntate dependente, et conditionem hanc non adimplet, ut se eximat ab obligatione voti?*

Si non est peccatum conditionem non adimplere, non peccat, nec ad votum tenetur; quia sub hac conditione licita se obligavit. Si est peccatum conditionem non adimplere, peccat etiam contra Religionem; quia eximitur ab obligatione voti per peccatum: et secundum plures Theologos tenetur ad votum (2).

46. *Quid si quis emiserit votum sub conditione ab alterius voluntate dependente, et impediat, quominus adimpleatur ea conditio?*

Si impediat modo licito, non peccat, neque ad votum tenetur; si impediat modo illicito, peccat; an teneatur ad votum, quaestio.

47. *Quot peccata committit, qui votum poenale non servat?*

Unum peccatum committit, si simplex poenale violat; duo peccata vero, si duplex poenale violat; quia duo vota violat. At non peccat, si immemor voti illud violat; vel si dispensatus jam fuerit ab obligatione primae partis voti.

48. *An violans votum poenale teneatur ad poenam toties, quoties illud violat?*

Primo videndum, quomodo iste se intenderit obligare. At si votum factum fuerit absque limitatio-

---

(1) Ex voto sub conditione propria emisso oritur a principio obligatio expectandi adimpletionem conditionis, et non reddendi se impotentem ad votum.

(2) Quia malum nemini debet patrocinari; et habetur conditio tamquam non apposita ex L. in executione §. ultim. D. de verborum signific. *Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio extiteret, nihilominus obligatur.*

ne, et fuerit simplex poenale, vel poena transgressioni imposita extraordinaria sit, communius iste tenetur pro prima vice ex Salmanticensibus, Laymann, et aliis (1).

49. *Quinam possunt vovere?*

Omnes, qui habent usum rationis. Excipiuntur vota in professione Religiosa, quae non possunt emitti ante aetatem completam XVI. annorum, et ante annum integrum novitiatus ex Tridentino (2).

50. *Obligatio voti transitne ad haeredes?*

Si votum est reale, transit; quia est onus haereditatis. Si vero est personale, regulariter non transit; quia extinguitur cum persona defuncti. Dixi regulariter: quia si haeres sponte se obligaverit, vel cum tali onere voluntarie institutus fuerit, tenetur ad votum personale (3).

51. *Quid si plures cohaeredes vota realia debeant persolvere?*

Omnes tenentur pro rata. At si res promissa per votum sit in specie penes aliquem cohaeredem, hic tenetur votum adimplere, et portiones ab aliis potest repetere (4).

---

(1) Nam poenae sunt restringendae; et verosimilius est, voventem noluisse se obligare ad tantam poenam.

Si quis facilis ad vovendum emiserit votum non vovendi in posterum sine consilio Confessarii, et postea sine hujusmodi consilio emittit votum, primum votum valet, quia est de meliori bono; valet etiam secundum, etsi peccet contra primum votum; quia actus emittentis votum est malus, non vero objectum, seu materia voti. Si vero intenderit, se non obligare ad votum sine approbatione Confessarii, est nullum secundum votum.

(2) Sess. 25. cap. 15. In regno Neapolitano ex Regio Diplomate non possunt emitti ante annum XXI. completum.

(3) Si vero votum est mixtum, tunc haeres tenetur ad partem realem, quando istud votum est emissum disjunctive. In dubio an partes fuerint disjunctive promissae, tenetur, si pars realis sit principalis; quia praesumitur vovens se obligare ad principale.

(4) Vota sunt praeferenda legatis. At haeres potest, solutis debitis justitiae, detrahere suam legitimam, et quod

De causis, quibus voti obligatio cessat.

52. *Ex quibus causis cessat obligatio voti?*

Ex pluribus causis: scilicet, irritatione, dispensatione, commutatione, cessatione causae finalis, notabili mutatione, et lapsu temporis.

De voti irritatione.

53. *Quid est irritatio?*

Est annullatio voti facta ab habente potestatem dominativam vel in rem votam, vel in voluntatem voventis. Hinc duplex est irritatio: directa, et indirecta. Prima est illa, quae fit ab eo, cui subjicitur voluntas voventis. Secunda est illa, quae fit ab eo, cui materia voti subjicitur.

54. *Quaenam differentia inter irritationem directam, et indirectam?*

Haec est differentia: vota directe irritata nunquam reviviscunt (1); indirecte irritata reviviscunt cessante subjectione, vel praejudicio (2).

55. *Quinam in specie possint directe irritare vota?*

Summus Pontifex potest irritare vota omnium Religiosorum. Superior Regularium omnia vota suorum Religiosorum, exceptis votis ex instituto, et voto de strictiori religione amplectenda (3). Pater vota filiorum impuberum. Ita etiam tutor, et mater, si est tutrix, quoad impuberes.

56. *Quinam possint indirecte irritare vota?*

Summus Pontifex omnia vota Fidelium potest ir-

---

remanet impendere ad vota adimplenda. Nam testator non potest ultra vires haereditatis onera imponere.

(1) Quia obligatio semel extincta nunquam potest reviviviscere.

(2) Quia votum per indirectam irritationem fuit suspensum, quatenus erat vovens alteri obligatus, vel votum erat praejudicativum alteri.

(3) Can. *Monacho* 2. caus. 20. q. 4. ex can. *Virgine* 1., et ex cap. *Si Religiosus* de elect. in 6.

ritare. Superior Regularium vota novitiorum ; et ita probabilius Abatissa, et Priorissa vota Monialium. Pater vota filiorum puberum ; ita Curator quoad minores (1).

57. *An filiorum vota in impubertate emissa possint a patre directe irritari post pubertatem ?*

Maxime : dummodo non fuerint post pubertatem ratificata ; quia in emissione voti insita semper habetur conditio illa : *nisi pater contradixerit* (2). Hoc rationabilius negatur de tutore (3).

58. *Quid si pater dederit licentiam vovendi, potestne irritare ?*

Maxime ; quia dando licentiam nequaquam potestatem gubernandi a se abdicasse censetur.

59. *Maritus potestne irritare vota uxoris, et e contrario ?*

Indirecte potest maritus irritare vota uxoris, quando sunt praejudicativa conjugii usui, et familiae gubernationi. Uxor potest etiam, quando vota viri derogant juri suo quoad corpus illius, et bona propria. At uxor non potest irritare votum a viro factum praeliandi in subsidium terrae sanctae (4) ; nec vir votum uxoris de non petendo debitum conjugale.

De Dispensatione.

60. *Quid est dispensatio voti ?*

Est ablatio vinculi voti, seu absoluta condonatio voti ex justa causa nomine Dei facta ab habente jurisdictionem spiritualem in foro externo.

61. *Estne aliquod discrimen inter dispensationem, et irritationem ?*

---

(1) Omnes isti possunt, quando hujusmodi vota sunt praejudicativa vel regimini Ecclesiae, vel observantiae Religiosae, vel familiae, vel administrationi.

(2) Ex can. *Puella* 2. caus. 20. q. 2.

(3) Quia tutor post pubertatem fit curator. At haec ratio nunc non viget ex statuto codic. Regni Neap. ; quia post pubertatem adhuc minor sub tutore sistit.

(4) Ex cap. *Ex multa* §. 9. De voto, et vot. redem.

Maxime. Dispensatio enim fit ab habente jurisdictionem spiritualem in foro externo; irritatio ab habente potestatem dominativam. Dispensatio conceditur vovente consentiente; irritatio etiam vovente invito. Ad dispensationis valorem requiritur causa, ad irritationem non requiritur.

62. *Daturne in Ecclesia potestas dispensandi vota?*

Maxime; et est de fide ex illo Matth. cap. 18: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.*

63. *Quotuplex est haec potestas?*

Duplex est: ordinaria, et delegata. Prima est, quam quis habet ex vi sui muneris; secunda, quam quis habet ex concessione habentis ordinariam.

64. *Ad valorem dispensationis requiriturne causa?*

Maxime. Nam haec potestas Praelatis a Deo data est ad aedificationem, non in destructionem (1).

65. *Quinam possint dispensare vota?*

Vota non reservata possunt dispensare omnes, qui jure ordinario habent Episcopalem jurisdictionem, et ex delegatione omnes alii Ecclesiastici. Vota reservata tantum Summus Pontifex potest dispensare; quae, praeter sollemnia, sunt quinque: scilicet, votum perpetuae castitatis, ingrediendi religionem, et trium peregrinationum, idest ad limina Apostolorum, ad Compostellam, et ad terram Sanctam (2).

66. *Quaenam conditiones requirantur, ut votum perpetuae castitatis sit reservatum?*

Sequentes: ut sit certum, absolutum, perfectum, perpetuum, liberum, integrum, et amore virtutis emissum.

67. *Quid si hoc votum indeterminate fiat de casti-*

---

(1) Uti docet S. Bernardus in lib. 3. de Consid. c. 10. ad Eugenium III.: *Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est... cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

(2) Ex Extrav. *Etsi Dominici* 5. de Poenit. et remiss. In generali concessione dispensandi vota a Pontifice data non venit dispensandi facultas in hujusmodi votis.

tate, aut de alia re; vel per metum levem; vel de castitate conjugali; vel sub poena, estne reservatum?

Minime; quia non adsunt conditiones requisitae (1).

68. *Quaenam sint conditiones ad reservationem voti ingrediendi Religionem?*

Sequentes: ut sit certum, absolutum, perfectum, perpetuum, et de Religione approbata.

69. *Quid si quis ingrediatur Religionem ad servandum votum, et postea ex illa expellatur, an teneatur iterum ingredi Religionem?*

Vel expellitur sua culpa, tenetur; vel sine sua culpa, non tenetur; si de illo determinato monasterio voverit (2).

70. *Quaenam conditiones requirantur, ut votum trium peregrinationem sit reservatum?*

Sequentes: ut sit certum, absolutum, et causa devotionis emissum.

71. *Episcopus potestne dispensare in circumstantia voti reservati, quae non afficit substantiam voti?*

Maxime; quia non dispensat in substantia voti reservati, sed tantum in accidenti.

72. *Potestne Episcopus aliquando etiam in voti reservati substantia dispensare?*

Maxime: quando urget necessitas, et difficilis est accessus ad Pontificem.

73. *Quid si votum reservatum sit commutatum a*

---

(1) Si emittatur votum vel de castitate, vel de eleemosyna, non est certum; si per metum levem, non est perfectum; si sub levi obligatione, vel sub poena, (uti si quis diceret: voveo castitatem, si fornicatus fuero), quia non oritur ex amore virtutis.

(2) Si de Religione indeterminate voverit, vel de aliquo Ordine religioso, tenetur aliam Religionem, vel monasterium ingredi, usquedum recipiatur. Qui emisit votum de determinata Religione, vel de strictiori, si postea profiteatur aliam, vel minus strictam, licite potest remanere in ea; quia per votum solemne videtur extinctum votum simplex. At peccat, et ipsi est imponenda poenitentia.

legitima potestate in aliam materiam non reservatam, an istud votum commutatum sit reservatum?

Minime; quia reservatio fuit ablata per commutationem in aliam materiam non reservatam.

De Commutatione voti.

74. *Quid, et quotuplex est commutatio voti?*

Commutatio est substitutio unius rei pro alia. Commutatio autem voti triplex esse potest: in melius, in aequale, et in minus (1).

75. *An requiratur causa ad commutandum votum?*

In commutatione in melius non requiritur, in aequale, et in minus requiritur; quia non videtur Deus concedere hujusmodi substitutionem sine causa (2).

76. *Quinam possint commutare vota?*

Commutare in melius potest etiam ipse vovens (3); in aequale, vel in minus, qui possunt vota dispensare.

77. *An, qui habet facultatem delegatam dispensandi vota, possit etiam ea commutare in minus?*

Maxime; quia qui habet majus, etiam minus habet (4).

78. *Qui habet facultatem simpliciter commutandi vota, potestne illa in minus commutare?*

Minime; quia commutatio proprio sensu indicat aequalitatem.

79. *Quinam possint vota reservata commutare?*

Solus Summus Pontifex. At ab ipso vovente possunt commutari omnia vota reservata in unicum vo-

---

(1) Commutatio differt a dispensatione, et irritatione; quia per dispensationem, et irritationem directam tollitur obligatio voti; per commutationem mutatur. Dispensatio, et irritatio non possunt fieri ab ipso vovente; commutatio in melius potest.

(2) In commutatione in melius non requiritur, ut votum sit praestantius, sed ut perspectis omnibus sit Deo acceptius, et saluti spirituali voventis magis expediat.

(3) In cap. *Pervenit* 3. de jurejurando.

(4) Ex regula juris 53. in 6. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus; praesertim in eodem genere.*

tum Religionis profitendae; quia istud est omnibus excellentius (1).

80. *Vota realia possuntne commutari cum praejudicio tertii?*

Minime; quia quod nocet alteri, sine ejus consensu fieri nequit. At Summus Pontifex ex plenitudine potestatis potest ob bonum commune ejusmodi vota commutare.

81. *Vovens post obtentam commutationem voti potestne redire ad primum?*

Maxime; quia haec commutatio est instar privilegii (2).

82. *Quid si votum commutatum servari nequeat, an vovens teneatur ad primum?*

Minime, si commutatio facta fuerit a legitima potestate (3).

83. *Quibus aliis causis cessat obligatio voti?*

Pluribus: nempe 1. cessante causa finali: quia cessat intentio voventis; 2. notabili mutatione materiae voti: quia voti obligatio tollitur „ *si res in eum casum inciderit, a quo incipere non poterat* (4); 3.

---

(1) Ex cap. *Scriptura* 4. de voto, et voti redemp. Ex vi Jubilaei non possunt vota reservata commutari, nisi expresse haec facultas concedatur. Virtute Bullae Cruciatae Neapolitano regno concessae possunt omnia vota simplicia, etiam reservata commutari, ex declaratione Commissarii hujus Bullae. Vide in Parte Tertia hujus Epitomes in Compendio Bullae Cruciatae n. 15.

(2) Ex regula juris. Quod ob gratiam 61. in 6. *Quisque autem potest favori suo renuntiare.*

(3) Quia illa obligatio semel extincta non reviviscit. Si vero fit ab ipso vovente in melius, tunc tenetur iste redire ad primum, e contraria ratione.

(4) Sunt verba legis *Pluribus* §. 4. de verbor. signif. Sic etiam si votum fiat moraliter impossibile: uti si observari nequeat absque periculo mortis, vel absque gravi damno in bonis temporalibus, honore, etc. Sicut etiam si quis voverit omnibus diebus Veneris jejunare, nihil cogitans de festo Nativitatis Domini in hanc diem incidente, probabilius non videtur teneri ad jejunium hac die Nativitatis Domini. D. Lig. cum aliis lib. 3. n. 226.

elapso tempore: dummodo tempus sit determinatum ad finiendam obligationem.

De vitiis Religioni oppositis.

84. *Quot sunt vitia Religioni opposita?*
Alia opposita per excessum, quae continentur in superstitione: de qua postea dicetur. Alia opposita per defectum, quae continentur in irreligiositate: cujus species sunt tentatio Dei, blasphemia, perjurium, violatio voti, sacrilegium, et simonia (1).

De Simonia.

85. *Quid est Simonia?*
Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pretio temporali (2).

86. *Quotuplicis generis sunt res spirituales?*
Quadruplicis generis: scilicet, aliquae dicuntur spirituales essentialiter (3), aliae spirituales causaliter (4), aliae spirituales effective (5), aliae tandem spirituales per adnexionem; quae sunt triplicis generis: idest antecedenter, quando temporale antecedit spirituale; concomitanter, quando simul est temporale, et spirituale; consequenter, quando spirituale antecedit temporale (6).

---

(1) De aliis dictum est: hic tantum de simonia, et de tentatione Dei sermo erit.

(2) Ex D. Thoma 22. q. 100. a. 1. Dicitur studiosa voluntas, quia ad simoniam requiritur saltem interna deliberatio, et affectus voluntatis, cum effectu subsecuto. Nomine pretii temporalis venit non tantum pecunia, sed quidquid pretio est aestimabile, uti munus a manu, a lingua, et ab obsequio: ita loquuntur Theologi.

(3) Uti virtutes supernaturales, fides, spes etc.

(4) Uti Sacramenta.

(5) Absolutio a censuris, dispensatio in votis.

(6) Antecedenter, uti vestes sacrae, jus patronatus; concomitanter, uti labor intrinsecus in administratione Sacramentorum; consequenter, uti jus percipiendi redditus ex beneficio.

87. *Quotuplex est Simonia?*

Multiplex est: alia est de jure Divino, alia de jure Ecclesiastico. Prima habetur in emptione, et venditione rerum spiritualium, vel spiritualibus adnexarum; ideoque prohibita, quia mala. Secunda habetur in beneficiis, et in officiis temporalibus Ecclesiae; et est mala, quia prohibita. Deinde alia est mentalis, alia conventionalis, realis, et confidentialis. Mentalis est, quae tantum mente sine externo signo concipitur; conventionalis, quae pacto conficitur; realis, quae rei traditione perficitur: si ex utraque parte habetur traditio, dicitur realis perfecta; si ex una parte, dicitur realis imperfecta, seu semirealis. Confidentialis denique est illa, quae committitur in procuratione, vel resignatione beneficii cum aliquo certo pacto, et confidentia cedendi idem beneficium, vel portionem (1).

88. *Quotuplici modo potest fieri Simonia confidentialis?*

Multiplici modo: nempe per accessum, ingressum, regressum, et pensionem. Per accessum habetur, quando quis volens conferre beneficium inhabili, interim confert habili cum pacto, et confidentia, ut beneficium iste dimittat, quando inhabilis fit habilis. Per ingressum habetur, quando quis beneficium sibi collatum ante possessionem alteri resignat cum pacto, et confidentia in beneficii possessionem ingrediendi, si ille dimittat beneficium, vel religionem ingrediatur, etc. Per regressum habetur, quando quis beneficium a se possessum alteri resignat cum pacto regrediendi in illud, si pensionem iste non solverit, aut beneficium dimittat, vel etc. Per pensionem denique habetur, quando alteri resignatur beneficium cum pacto solvendi aliquam pensionem ex eodem beneficio.

89. *Quo jure est prohibita Simonia?*

Omni jure: jure naturae; quia sancta sancte tra-

(1) Ex Bulla Pii IV. *Romanum Pontificem*, et Pii V. *Intollerabilis*, et *Cum primum.*

ctanda sunt: jure Divino: *gratis accepistis*, *gratis date*, Matth. cap. 10.; jure Ecclesiastico: ex innumeris poenis ab ipso jure statutis.

90. *Simonia estne peccatum grave?*

Maxime contra Religionem; quia res spiritualis aestimatur pretio temporali: ut clare patet ex sententia D. Petri Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri* (1).

91. *Quinam Simoniaci incidunt in poenas?*

Tantum Simoniaci reales in ingressu religionis, in Ordinibus, et in Beneficiis; et Simoniaci Confidentiales (2).

92. *Quaenam sint poenae contra Simoniacos reales in ingressu religionis?*

Dantes, et recipientes temporale incidunt in excommunicationem Papae reservatam. Capitulum consentiens incidit in suspensionem ab officiis Capitularibus Papae reservatam (3). Scienter simoniace professus detrudendus est in strictius monasterium ad perpetuam poenitentiam (4).

93. *In quas poenas incurrant Simoniaci reales in Ordinibus?*

Tam Ordinans, quam Ordinatus, mediatores, procuratores incurrunt in excommunicationem Papae reservatam, secuto effectu (5). Ordinans incidit etiam

(1) Simonia de jure Divino est peccatum grave ex toto genere suo. In Simonia de jure Ecclesiastico litigant Doctores, an detur parvitas materiae.

(2) Quando simonia realis non est completa, nempe quando habetur tantum traditio rei temporalis, dicendum est, poenas non incurri; quia delictum non est completum, et perfectum, uti exigitur ad incurrendas poenas. Si vero habeatur tantum traditio rei spiritualis, quaestio. At rationabilius dicendum, non incurri poenas.

(3) Extravag. *Sane* de Simonia.

(4) Istae poenae incurruntur secuta professione; quia tunc completur simonia realis, seu delictum; ut valde probabile est ex Salmanticensibus, D. Ligorio lib. 3. tract. 1. num. 108. Denique tenendum est ex D. Thoma q. 109. art. 6. ad 5. professionem simoniace factam certo esse validam.

(5) Extravag. *Cum detestabile*.

in perpetuam suspensionem a cujuscumque Ordinis collatione, etiam primae tonsurae; in suspensionem ab executione omnium munerum pontificalium, et in interdictum ab ingressu Ecclesiae (1). Ordinatus incidit in suspensionem cujuscumque Ordinis etiam antea rite suscepti (2).

94. *In quas poenas incurrant Simoniaci reales in Beneficiis?*

Eligens, praesentans, constituens, confirmans, recipiens beneficium, mediatores, procuratores, et cooperantes incurrunt in excommunicationem Papae reservatam, secuta collatione (3). Praesentatio, et collatio est nulla; fructus beneficii sunt restituendi; provisus fit inhabilis ad idem beneficium, etiamsi dispenset Episcopus (4).

95. *Quaenam sint poenae contra Simoniacos Confidentiales?*

Resignantes, recipientes, cooperantes, si sunt Episcopis inferiores, incidunt in excommunicationem Papae reservatam; si sunt Episcopi, vel his superiores, incidunt in interdictum ab ingressu Ecclesiae. Resignatio, et collatio est nulla; provisus fit inhabilis ad idem beneficium in posterum obtinendum; beneficia sic collata reservantur Sedi Apostolicae, et fructus cedunt Camerae Apostolicae (5).

---

(1) Ex Bulla Xyst. V. *Sanctum*.

(2) Ex Extrav. cit. Quaestio est inter DD. si pro prima tonsura simoniace collata incurrantur istae poenae.

(3) Extravag. citata.

(4) Cap. *Matthaeus* et cap. 27. de Simonia et cap. penult. de Electione. Episcopus potest dispensare in hac inhabilitate, quando beneficium est simplex, et fuit receptum in bona fide, nec ratahabita fuit Simonia commissa, et veniente mala fide fuit resignatum in manu Episcopi.

Omnis pactio in beneficiis, etiamsi detur spirituale pro beneficio assequendo, est simonia. Apud D. Lig. lib. 3. n. 60.

(5) Ex Bulla 85. Pii IV. et Bulla Pii V. cit. Ex hisce Bullis recipiens beneficium per hujusmodi simoniam est expoliandus aliis beneficiis, et pensionibus susceptis. Ut istae poenae incurrantur, tantum requiritur, ut beneficium sit datum, et acceptum: non requiritur, ut adimpleatur pactum, scili-

96. *Temporale acceptum pro traditione rei spiritualis estne restituendum?*

Maxime; quia nullus titulus, et jus retinendi habetur.

97. *Cuinam hoc temporale restituendum sit?*

Si res spiritualis nondum est tradita, restituendum ei, qui dedit. Si vero res spiritualis est tradita, restituendum Ecclesiae, vel ex consuetudine pauperibus (1).

98. *Res spiritualis simoniace accepta estne restituenda?*

Si est beneficium, vel officium Ecclesiasticum, est restituendum ante sententiam judicis (2). Si sunt aliae res, non sunt restituendae.

99. *Potestne vendi temporale, cui est adnexum spirituale?*

Minime: quatenus est spirituale; quatenus est temporale, potest: dummodo aliqua non adsit Ecclesiae prohibitio (3).

100. *Potestne vendi beneficium Ecclesiasticum?*

Minime; et est simonia de jure Ecclesiastico secundum aliquos DD., de jure divino juxta communiorem, et probabiliorem sententiam.

101. *Potestne vendi pensio?*

Si vendatur pensio clericalis, vel mixta, est simonia (4). Si vendatur pensio laicalis, non est simonia.

---

cet revera solvendo pensionem, vel restituendo reapse beneficium. Et hoc etiamsi recipiens nunquam intentionem habuerit adimplendi pactum: ut clare patet ex Bulla Pii V. *Etiamsi sola intentione dimittentis receperit.* Simoniaci reales, et confidentiales incidentes in poenas fiunt inhabiles ad alia beneficia usquedum remanent excommunicati; quia excommunicati sunt incapaces beneficiorum.

(1) Ex cap. 12. de Simonia, et ex D. Thoma 22. q. 32. a. 7. ad 2.

(2) Extravag. *Cum detestabile.*

(3) Potest vendi calix pro suo valore temporali, non vero pluris, quia est consecratus. Potest exigi majus stipendium pro celebratione Missae ob longum iter faciendum.

(4) Venditio pensionis mixtae est simonia de jure Ecclesiastico: uti patet ex praxi Curiae Romanae, quae tales venditiones tamquam simoniacas damnat.

102. *Potestne vendi jus patronatus?*

Minime; quia est simonia saltem de jure Ecclesiastico (1).

103. *Estne licita transactio in beneficiis?*

Si datur temporale pro beneficio, est simonia; quia temporale pro spirituali datur (2). Si datur spirituale pro spirituali in beneficiis, et fit privata auctoritate, est simonia (3).

104. *Estne licita permutatio beneficii?*

Est simonia, si fiat auctoritate privata (4).

105. *Potestne resignari beneficium?*

Resignare beneficium cum pacto, et conditione sine approbatione Superioris, est simonia (5).

106. *Estne simonia exigi illaesa justitia aliquid temporale a collatore beneficii pro emolumento temporali beneficiario allato?*

Maxime; quia jus percipiendi fructus ex beneficio non est pretio temporali existimabile; et oppositum est damnatum ad Alexand. VII (6).

107. *Potestne dari aliquid temporale collatori ex mera gratitudine?*

Maxime, quia gratuitum non est pretium.

108. *Quid si daretur aliquid temporale in gratuitam compensationem spiritualis, aut viceversa?*

Est simonia; quia compensatio est pretio existimabilis; et oppositum fuit damnatum ab Innoc. XI (7).

---

(1) Ex cap. *De jure* 16. de jure patron.

(2) Cap. *Cum pridem* 4. de pactis.

(3) Est prohibita haec transactio in beneficiis ex cap. 7: *Super eo* de transaction. Si vero fiat extra beneficia, est licita.

(4) Clement. *Ne concessione* unica de rerum permut.

(5) Si fiat absolute, non est simonia.

(6) Prop. 22. *Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis; quia collator illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

(7) Prop. 45. *Non est simonia, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali; aut e contrario.*

109. *Potestne dari temporale ad tollendam vexationem in beneficio?*

Si vexatio est justa, non potest, et est simonia. Si vero vexatio est injusta, et habetur jus in re, potest; quia datur temporale pro avertenda injuria; si habetur jus ad rem, non in re, est distinguendum: si datur illi, qui potest obesse, et prodesse, non potest dari sine simonia; si datur illi, qui tantum potest obesse, potest dari; quia non datur ad beneficium obtinendum, sed ad tollendas iniquas oppositiones (1).

110. *Potestne dari aliquid spirituale ad tollendam injustam vexationem?*

Minime: et est simonia; quia semper daretur spirituale pro temporali.

111. *Potestne dari temporale tamquam motivum ad obtinendum spirituale, aut viceversa?*

Minime; quia est simonia dare temporale pro spirituali, et sic viceversa: ideoque oppositum fuit damnatum ab Innoc. XI (2).

112. *Potestne dari aliquid ministro nolenti in necessitate ministrare Sacramenta necessitatis medii?*

Maxime: quia non datur pro spirituali, sed ad tollendam injustam vexationem.

---

(1) Jus in re est jus jam acquisitum: ex. gr. per collationem, institutionem. Jus ad rem est jus proxime acquirendum: ex. gr. per approbationem in concursu, per praesentationem. Ille dicitur posse obesse, et prodesse, qui potest vel impedire, vel juvare ad beneficium; ille dicitur posse tantum obesse, qui falsa accusatione, denuntiatione potest solum impedire.

(2) Prop. 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, efficiendi spirituale.* Prop. 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: immo etiam si sit ipsius rei spiritualis.*

Si vero datur ad alliciendum, non ad obligandum; uti dare aliquid pauperi, ut oret pro dante, ex D. Thoma non est simonia. Apud D. Lig. L. 3. n. 59., et 55. Quaesit. VI.

113. *Estne simonia suscipere Ordines ad obtinendum beneficium, praesertim ob ejus redditus?*

Maxime; quia per spiritnale paratur medinm ad temporale.

114. *Estne simonia dare temporale pro omissione actus spiritualis?*

Si haec omissio est actus jurisdictionis, est simonia; quia omissio actus spiritualis est exercitium jurisdictionis spiritualis (1). Secus, non est simonia; quia omissio operis spiritualis non est spirituale.

Brevis tractatio de Beneficiis.

115. *Quid est Beneficium?*

Est jus perpetuum officio spirituali adnexum clerico competens percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, anctoritate Ecclesiae constitutum.

116. *Quotuplex est beneficium?*

Multiplex est: 1.° simplex, et dnplex. Simplex est illnd, cui tantnm est adnexum onus recitandi officium divinum, vel celebrandi Missam; duplex est illud, cui adnexa est cura animarnm, vel jurisdictio, vel praeeminentia, aut aliqua dignitas. 2. Saeculare, et regulare, prout institutum est pro clericis saecularibus, vel regnlaribus. 3. Collativum, electivum, et patronatum: primum, quod confertnr per absolutum, et liberum arbitrium Superioris; secundum, quod confertur per suffragia electornm a Snperiore confirmanda; tertium, quod coufertur a Snperiore per patroni praesentationem.

117. *Quibus sint conferenda beneficia?*

Dignioribns, praesertim, si sunt curata ex Trid. sess. 24. cap. 1. de Reformatione; et ex Prop. damn. ab Innoc. XI (2). Beneficia jnris patronatus, quae

(1) Uti esset absolutionem denegare, facultatem dispensandi non impertiri.

(2) Prop. 47. *Cum dixit Concilium Trid. eos alienis peccatis etc. Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione mi-*

sunt conferenda personis alicujus familiae, possunt conferri dignis illius familiae, quamvis externi adsint digniores (1).

118. *Quaenam aetas requiratur ad beneficia?*

Ad beneficium simplex requiritur aetas quatuordecim annorum; ad Canonicatum in Cathedralibus Ordinem habens adnexum, requiritur ea aetas, quae possit infra annum ascendi ad illum ordinem; si nullus ordo sit adnexus, aetas 21 annorum; ad dignitates 22. annorum completorum. Ad beneficium Curatum aetas viginti quinque annorum (2); ad Episcopatum aetas triginta annorum. Ad Canonicatum Poenitentiariatus aetas quadraginta annorum (3).

119. *Quid, et quotuplex est pensio?*

Est jus percipiendi partem fructuum beneficii auctoritate Summi Pontificis consignatum. Et quidem triplex est: clericalis, laicalis, et mixta. Clericalis est illa, quae datur clerico ordinato propter aliquod officium sacrum; laicalis, quae datur laico ob aliquod servitium, vel officium Ecclesiae praestitutum;

---

nus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur, quando fit concursus.

(1) Semper tamen est valida collatio, licet digniori non facta; quia jus non irritat. Collator, qui beneficium curatum non confert digniori, peccat graviter; si simplicia beneficia dignioribus non conferat, sed dignis, secundum aliquos leviter peccat. An teneatur restituere Ecclesiae, et digniori omisso, quaestio. Si post concursum, tenetur restituere digniori omisso. Licet oppositam sententiam non careat probabilitate ex D. Lig. L. 4. n. 109.

(2) Ex Trid. sess. 23. cap. 6. de Reform:

(3) Episcopus non potest dispensare in defectu aetatis, ex cap. *Praeterea* de aetate, et qualitat. Ordin. Peccat graviter, qui sine animi permanendi in statu clericali recipit beneficium.

Conditiones requisitae ad beneficium idonee recipiendum, sunt: torus legitimus, status clericalis, aetas legitima, coelibatus, absentia censurae, et irregularitatis, probitas morum, scientia debita, aptitudo corporis, intentio status Ecclesiastici retinendi, et carentia alicujus beneficii incompatibilis.

mixta, quae datur clerico titulo omnino temporali: uti ratione paupertatis.

120. *Quid est jus patronatus?*

Est jus praesentandi, vel nominandi clericum ad beneficium Ecclesiasticum vacans (1).

121. *Quid est beneficii permutatio?*

Est mutua, et reciproca beneficiorum resignatio inter ipsos beneficiatos. Ut sit licita, debet fieri in proprio beneficio, causa sufficienti existente, ab Episcopo examinanda, et auctoritate legitimi Superioris interveniente.

122. *Quid resignatio, et transactio in beneficiis?*

Resignatio est spontanea beneficii remissio auctoritate Superioris facta. Transactio est pactio non gratuita de re dubia, et incerta in beneficio ad litem finiendam.

De Superstitione.

123. *Quid, et quotuplex est superstitio?*

Est vitium Religioni oppositum per excessum, quo Divinus cultus exhibetur, vel cui non exhiberi debet, vel cui debet, sed modo indebito. Superstitio autem duplici ex capite oriri potest: vel ex parte rei cultae, quando cultus Deo debitus, creaturis praestatur; vel ex parte modi colendi, quando Deo praestatur cultus falsus, aut superfluus.

124. *Superstitio estne peccatum grave?*

Tam superstitio ex parte rei cultae, quam ex parte modi colendi cultu falso, est peccatum grave; ex parte vero colendi cultu superfluo, ut plurimum est peccatum leve.

125. *Quot sunt species superstitionis?*

Sequentes: idololatria, divinatio, vana observantia, maleficium, et Magia.

(1) Jus patronatus acquiritur fundatione, vel aedificatione, vel dotatione. Transfertur successione, donatione, permutatione, venditione universitatis. In secundo, et tertio modo requiritur consensus Episcopi, si ad laicum transferatur, ex Anacleto.

De beneficiis latiorem tractationem invenies in tertia Parte Appendix VII.

126. *Quid, et quotuplex est idololatria?*

Est servitus, quae soli Deo debetur, exhibita creaturis. Et triplex est: perfecta, minus perfecta, et simulata. Prima quando Divinus honor exhibetur creaturis, quae falso creduntur Dii. Secunda, quando honor Deo debitus exhibetur creaturis ex pravo affectu, puta ex odio, ex cupiditate. Tertia, quando ob timorem exterius exhibetur creaturis hic cultus. Idololatria semper est grave peccatum.

127. *Num credere iis, quae dicuntur a Daemone, sit species idololatriae?*

Vel non est Daemon exorcismis coactus, est idololatriae species credere; quia honoratur pater mendacii. Vel exorcismis coactus, etsi non sit species idololatriae, melius est non credere.

128. *Quid, et quotuplex est divinatio?*

Est inqnisitio rei occultae ope daemonis; et est expressa, si fit cum expressa daemonis invocatione; vel tacita, si fiat tacita invocatione: nempe adhibendo medium improportionatum ad finem: qui finis ex se non potest obtineri, sed tantum ex aliquo pacto tacito cum daemone obtinetur: nempe isto medio rei occultae cognitio acquiritur (1).

129. *Quid, et quotuplex est astrologia?*

Est inquisitio rei occultae per astra; et duplex est: naturalis, et judiciaria, seu divinatoria. Prima est, qua ex siderum concursu praenuntiantur effectus naturales connexi cum his. Secunda, qua ex siderum concursu praenuntiantur futura libera nullam naturalem connexionem habentia cum sideribus. Ista est semper peccatum grave, cui adnexa est excommunicatio, et poena denuntiationis (2).

---

(1) Species divinationis tacitae sunt: observantia somniorum, augurium, animalium observatio, physignomia, nempe per observationem liniamentorum corporis, uti manus, vultus; astrologia, et sortilegium.

(2) Ex Bulla Urbani VIII. *Inscrutabilis*: in quam poenam incidunt consulentes hujusmodi Astrologos, vel eorum praedictionibus credentes. Haec excommunicatio est Papae reservata ex delicto haeresis: quia inquirere futura libera con-

130. *Quid, et quotuplex est sortilegium?*
Est inquisitio rei futurae, vel occultae per sortes. Et triplex est: divisorium, consultorium, et divinatorium, prout sortes adhibentur ad aliquid dividendum pro lite finienda, vel ad inquirendam Divinam voluntatem pro aliquo negotio, vel ad aliquid occultum sciendum ope daemonis.

131. *Estne licitum sortilegium?*
Divisorium est licitum, quando jura partium sunt aequalia, et fit ex communi consensu; dummodo non sit in beneficiis, electionibus Ecclesiasticis, et etiam in omnibus officiis, ob periculum eligendi indignum. Consultorium est licitum in necessitate, adhibita reverentia, et fiducia debita erga Deum. Divinatorium est graviter illicitum; quia intervenit tacita daemonis invocatio.

132. *Suntne credenda somnia?*
Somnia possunt esse a Deo, vel a dispositione naturali, vel a daemone; proindeque temere credere somniis grave peccatum est; siquidem qui temere credit, se exponit periculo deceptionis diabolicae (1).

133. *Quid, et quotuplex est vana observantia?*
Est illa, qua quis adhibendo vana, et improportionata media vult aliquem effectum obtinere. Haec potest esse cum expressa, vel tacita daemonis invocatione (2).

134. *Quaenam sunt species vanae observantiae?*
Sunt tres: *ars notoria*, qua quis utitur vanis mediis ad aliquam scientiam discendam sine studio; *observantia sanitatum*, qua quis utitur ad morbos pellendos, vel ad vitam conservandam; *observantia e-*

---

tigentia et uti certo eventura credere ad haeresim reducitur; proindeque qui ejusmodi Astrologiae studet, merito haereticorum poenae subjicitur: ut recte advertit Pignatelli.

(1) Ex Ecclesiastico cap. 34. *Multos enim errare fecerunt somnia.*

(2) Quando nimirum ex observatione alicujus eventus fortuiti intendit suas actiones dirigere. Itaque vana observantia differt a divinatione; quia ista de occultis inquirit, illa ad aliquod praestandum, vel impediendum tendit.

ventum, quando ex eventu fortuito concipitur eventurum aliquid adversi, vel prosperi. In his semper graviter peccatur, nisi excuset ignorantia.

135. *Quid, et quotuplex est maleficium?*

Est modus alteri nocendi ope daemonis. Et potest esse vel veneficium, vel philtrum, seu amatorium. Primum est, quo alicui damnum infertur. Secundum est, quo amor, vel odium carnale excitatur.

136. *Peccatne, qui adhibet media ad tollendum maleficium?*

Si adhibet media licita, et non superstitiosa, uti preces, exorcismos, non peccat.

137. *Quid, et quotuplex est magia?*

Est modus efficiendi mira. Et duplex est: naturalis, et superstitiosa. Prima provenit ex mera naturali industria, et scientia; secunda ex ope daemonis. Hinc superstitiosa semper est peccatum grave.

138. *In quam poenam incidunt superstitiosi?*

In Dioecesi Neapolitana incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, qui abutuntur Sanctissimo Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacumque re consecrata ad veneficia, divinationes, sortilegia, vel ad quemcumque alium usum, quam fuerint ordinatae, et institutae hae res consecratae: in quam poenam incidunt sumentes, dantes, et recipientes rem consecratam ad praedictos fines, etiam abusu non secuto. Casus 2. in Tabel. In eandem excommunicationem incidunt, qui daemoni obsequium spondent, thus, et sacrificia offerunt; quamvis sine errore intellectus: item qui condunt, aut condere faciunt imagines, anulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo daemonem constringunt. Casus 3. In eandem excommunicationem incidunt, qui cum expressa daemonis invocatione ad captandam delectionem, vel odium excitandum, vel thesauros inveniendos, aut ad alium quemcumque finem utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut a naturali, et legitimo matrimonii usu conjuges avertantur: etiam scienter cooperantes, aut quocumque modo consentientes in praefatis criminibus. Casus 4.

139. *Quid, et quotuplex est tentatio Dei?*

Est inordinatum experimentum alicujus Divinae perfectionis verbis, vel factis. Et potest fieri expresse, vel tacite: expresse, quando aliquid ex expressa intentione fit, vel omittitur ad experiendum Dei aliquam perfectionem, seu miraculum; tacite, quando quis ordinariis mediis non utitur ad obtinendum aliquem finem, et vult tamen hunc obtinere. Haec Dei tentatio ex se est peccatum grave; sed est peccatum leve, si fiat actio sine advertentia, vel intentione tentandi Deum.

Usui magnetismi animalis, nuperrime a Romana universali Inquisitione damnato, supernaturalis et superstitiosi multum inesse plures viri peritia magna, et nomine praediti luculentissime testantur. Hinc ponere heic prae oculis lectoris non abs re putavi laudatum decretum.

» Feria IV. die 21. Aprilis 1841.

» In Congregatione Generali S. Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Eminentissimis, et Reverendissimis DD. S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposita supradicta instantia, Iidem Eminentissimi, et Reverendissimi DD. dixerunt — Usum magnetismi, prout exponitur, non licere ».

» Eadem die, et Feria.

» Sanctissimus D. N. D. Gregorius div. prov. PP. XVI. in solita audientia R. P. D. Assessori impartita, audita suprascripta relatione, resolutionem Eminentissimorum, et Reverendissimorum DD. Cardinalium approbavit. — Angelus Argenti S. Rom. Univ. Inquis. Notarius ».

Si libent scire plura, et plane scripta in hujusmodi damnatum magnetismi usum, perlegatur opusculum Bibliothecae Catholicae Neapoli editum, cujus titulus: La Scienza e la Fede — Fascicolo V. da' tipi di Manfredi.

TRACTATUS

DE RESTITUTIONE.

Q. 1. *Quid est restitutio?*

Est actus justitiae commutativae, quo res alteri debita redditur, et damnum reparatur ad aequalitatem.

2. *Quid est justitia?*

Est constans, et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.

3. *Quotuplex est justitia?*

Triplex est: commutativa (1), distributiva, et legalis. Prima est virtus inclinans hominem privatum ad reddendum alteri privato, quod debetur: servat aequalitatem arithmeticam, et ordinat partes ad partes. Secunda inclinat Superiorem ad bona communia distribuenda juxta merita: servat aequalitatem geometricam, et ordinat totum ad partes. Tertia est, quae inclinat subditum ad observantiam legum ob bonum commune: et ordinat partes ad totum.

4. *Quid, et quotuplex est jus?*

Est legitima facultas in aliqua re; et duplex est: aliud in re, aliud ad rem. Jus in re est, quod fundatur in ipsa re, sive per quod res manet obligata; jus ad rem est illud, per quod persona manet obligata ad rem tradendam.

5. *Quid, et quotuplex est dominium?*

Est jus libere disponendi de aliqua re tamquam sua per omnes usus a lege permissos. Duplex est:

---

(1) Dicitur commutativa, quia locum habet in commutationibus, et praesertim in contractibus.

altum, et humile. Altum est facultas supremae Potestatis disponendi de re, et actione subditorum ob bonum commune. Dominium humile est facultas personae privatae disponendi de suis bonis, et actionibus; quod quidem duplex est: plenum, et semiplenum. Primum est quod extenditur ad plenam dispositionem, usum, et fruitionem rei; secundum, quod extenditur vel ad rem solam, et dicitur directum, seu nudae proprietatis; vel ad solos fructus, et vocatur utile, seu usufructuarium.

6. *Quomodo acquiritur dominium?*

Dominium acquiri potest vel jure gentium seu naturali, vel jure civili, vel privata hominum voluntate. Primum praecipue acquiritur occupatione, accessione (1), traditione (2); secundum, successione, donatione, et praescriptione; tertium contractu, vel quasi-contractu (3).

7. *Ex cujus justitiae laesione oritur obligatio restitutionis?*

Ex justitia commutativa; quia restitutio intendit ponere aequalitatem, quod est proprium justitiae commutativae.

---

(1) Occupatio est apprehensio rerum corporalium nullius cum animo sibi habendi; cujus species sunt: venatio, aucupium, piscatio, occupatio bellica, et inventio. Accessio est illa, qua res aliqua rei nostrae accedens, nobis acquiritur. Quae quidem triplex est: naturalis, industrialis, et mixta; sicut a natura, vel ab arte, vel ab utraque provenit. Species accessionis naturalis sunt: foetura, insula in flumine nata, alluvio, vis fluminis, alvei derelictio, et confusio. Species industrialis sunt: adjunctio, commixtio, specificatio, aedificatio, scriptura. Species mixtae sunt: plantatio, satio, et perceptio fructuum.

(2) Traditio est datio possessionis; quae quidem triplex est: scilicet realis, ficta, et symbolica. Prima est ipsa datio naturalis, et rei mobilis de manu in manum translatio; secunda est illa, qua fictione juris res in alium translata intelligitur, licet de manu in manum translatio non intercedat; tertia est illa, qua per aliquam actionem, aut modum ex usu, et consuetudine institutum demonstratur traditio sine vera rei traditione: ut si quis tradat domum suam dando claves.

(3) In tractatu de contractibus dicetur.

8. *Num detur casus, in quo obligatio restitutionis oriatur etiam ex justitia distributiva vel legali?*

Maxime: quando justitia distributiva vel legalis est conjuncta cum justitia commutativa; puta si adsit pactum, promissio etc.

9. *An sufficiat tantum laesio justitiae commutativae, ut oriatur obligatio restitutionis?*

Minime; sed requiritur injuria, culpa, et ut inde damnum sequatur.

10. *Quid, et quotuplex est injuria?*

Est laesio juris alieni. Ea autem duplex est: materialis, et formalis. Prima, quando quis retinet rem alienam illaesa conscientia, scilicet prudenter credens rem esse suam. Secunda, quando retinet rem alienam laesa conscientia, nempe cum sciat, vel scire possit et debeat esse rem alienam.

11. *Ex quanam injuria oritur obligatio restitutionis?*

Ex injuria tam formali, quam materiali.

12. *Quid, et quotuplex est culpa?*

Est recessus a recta ratione; et duplex est: theologica, quae est peccatum vel mortale, vel veniale; et juridica, quae est omissio debitae diligentiae.

13. *Ex quanam culpa obligatio restitutionis oritur?*

Extra contractus, et officia, seu in damnificatione, oritur ex culpa theologica; in contractibus, et officiis ex culpa juridica.

14. *Quaenam culpa theologica requiratur, ut oriatur obligatio restitutionis?*

Requiritur culpa theologica externa, contra justitiam commutativam, efficax seu influxiva damni, et ex qua damnum revera sequatur.

15. *Num ex culpa theologica levi oriatur obligatio restitutionis?*

Si culpa est levis parvitate materiae, oritur obligatio restitutionis. Si est levis ex imperfecta advertentia, vel imperfecto consensu, est quaestio inter DD. (1).

---

(1) Communius, et rationabilius non videtur obligatio oriri restitutionis; quia talis culpa non meretur poenam restitutionis. Ita D. Ligorius cum aliis L. 3. n. 552. et etiam

16. *Qui dat operam rei illicitae, ex qua praeter intentionem agentis damnum sequitur, teneturne ad restitutionem?*

Si damnum sit operi conjunctum, quatenus agens praevidit vel praevidere potuit, ex sua actione damnum secuturum, tenetur ad restitutionem (1); secus, ad nihil tenetur.

17. *Quotuplex est culpa juridica?*

Triplex est: lata, levis, et levissima. Prima est omissio debitae diligentiae, quam homines diligentes ejusdem status, et conditionis solent, et tenentur adhibere. Secunda est omissio debitae diligentiae, quam homines diligentiores solent adhibere. Tertia est omissio diligentiae, quam homines diligentissimi solent adhibere.

18. *Ex quanam culpa juridica oritur obligatio restitutionis?*

Si contractus est in favorem dantis, uti depositum, dans tenetur de omni culpa, et recipiens tantum de culpa lata. Si contractus est in favorem recipientis, uti commodatum, recipiens tenetur de omni culpa, et dans de culpa tantum lata: excipitur precarium, in quo recipiens tantum de culpa lata tenetur. Si contractus est in favorem utriusque contrahentis, uti venditio, locatio etc., ambo tenentur de culpa lata, et levi.

19. *Ex quanam culpa juridica oritur obligatio restitutionis in arte, vel officio?*

Ex culpa lata. Si vero quis sit mercede condu-

Fulco tom. 3. tract. 9. lib. 3. p. 98. Alii dicunt oriri obligationem quoad partem proportionatam culpae. Apud illos DD., qui docent oriri obligationem, alia adest quaestio: scilicet an ad partem obligatam iste teneatur sub gravi. Docent alii teneri sub gravi, si materia sit gravis; sub levi, si sit levis: alii dicunt nunquam sub gravi teneri ad istam partem; quia culpa est levis.

Quando dubitatur, an grave damnum evenerit ex culpa gravi, vel levi, secundum aliquos DD. censendum evenisse ex culpa gravi; quia causa praesumitur effectui aequalis.

(1) Quod si ex hujusmodi actione homicidium accidit, agens est reus homicidii.

ctus, tenetur de culpa lata et levi. Quod si ad omnem culpam se obligaverit, quatenus diligentissimum se esse exhibuit, de omni culpa tenetur.

20. *An in conscientia ex sola culpa juridica in contractibus, et officiis oriatur obligatio restitutionis?*

Quaestio inter DD. At ex D. Ligorio cum aliis requiritur etiam culpa Theologica gravis (1).

21. *An ex culpa juridica etiam oriatur restitutio extra contractus, et officia?*

Maxime: quando est culpa tam lata, ut aequiparetur dolo.

22. *Qui actionem licitam ponit, sed periculosam, ex qua sequitur damnum, teneturne ad restitutionem?*

Si jus habeat ponendi istam actionem, et adhibuerit debitam diligentiam, ne damnum eveniat, non tenetur; secus, tenetur.

23. *Quo jure sit facienda restitutio?*

Omni jure. Omnia enim jura clamant, rem alienam esse domino restituendam.

24. *Praeceptum restitutionis estne affirmativum, an negativum?*

Affirmativum includens negativum. Imponitur enim restitutio ex praecepto negativo non retinendi rem alienam.

25. *Ex quanam necessitate teneamur ad restitutionem?*

Quoad animum restituendi, necessitate medii tenemur; quoad executionem, necessitate praecepti.

---

(1) Ex codice vig. art. 1338. et seq. tenetur ad damna absque sua culpa illata a filiis minoribus secum commorantibus pater, et post mortem patris, mater. Item tenentur domini ad damna illata a servis in executione operum ipsorum; praeceptores, et magistri artium ad damna causata a discipulis, vel alumnis tempore, quo subjiciuntur eis. At non tenentur isti, si probent non potuisse impedire. Proprietarius animalium tenetur ad damna ab ipsis animalibus illata: item, ille qui utitur iisdem, tenetur ad damna si qua acciderunt tempore usus. Denique possessor alicujus aedificii ad damna secuta ex ruina aedificii; dummodo evenerit ruina ob defectum opportunae reparationis, vel ob vitium constructionis.

26. *Quaenam sint radices restitutionis?*
Sunt sequentes: rei acceptio, injusta acceptio, contractus, vel quasi-contractus, et damnum illatum, seu delictum, vel quasi-delictum.

De possessore bonae, vel malae fidei.

27. *Quinam dicitur possessor bonae, vel malae fidei?*
Possessor bonae fidei dicitur ille, qui illaesa conscientia possidet rem alienam. Possessor malae fidei, qui laesa conscientia possidet rem alienam.

28. *Quaenam differentia intercedit inter possessorem bonae, et malae fidei, scilicet ad quid tenentur ambo?*
Possessor bonae fidei tenetur ad rem si extat, et si non extat, ad id, in quo factus est ditior: potest se servare indemnem, et praescribere. Possessor malae fidei tenetur ad rem, si extat, et si non extat, ad aequivalens: tenetur compensare omnia damna, seu dominum servare indemnem, et non potest praescribere.

29. *Quandonam possessor dicitur factus ditior?*
Quando consumendo rem alienam pepercit rebus suis.

30. *Potestne possessor bonae fidei repetere a domino pretium rei emptae, cum ei rem restituit?*
Minime: secus dominus emeret rem suam. At habet actionem evictionis contra venditorem.
Ex Codice vigente in Regno Neapolitano potest hujusmodi possessor repetere pretium, si rem emerit in nundinis, vel a publico mercatore, vel in publica venditione. Art. 2186.

31. *Danturne casus, in quibus possessor bonae fidei tenetur ad damna, et lucra domino compensanda?*
Maxime: quando veniendo in malam fidem culpabiliter non restituit; quando est haeres universalis possessoris malae fidei; et ratione evictionis.

32. *Teneturne possessor ad rem, si pereat?*
Possessor bonae fidei ad nihil tenetur, etiamsi sua culpa res perierit. Possessor malae fidei tenetur; quia debet servare dominum indemnem. Idem ex Codice vig. art. 1333.

33. *Teneturne ad restitutionem possessor malae fidei, si res etiam periisset apud dominum?*

Si res pereat apud possessorem culpa ipsius, et apud dominum periisset ob injuriam alienam, vel casu fortuito, tenetur ejusmodi possessor ad restitutionem; quia jam contraxit obligationem. Si autem pereat apud possessorem eodem casu fortuito, et eodem tempore, quo pariter apud dominum periisset, tunc non tenetur ad restitutionem. Secus (1), quaestio inter DD.

34. *Quomodo tenetur possessor malae fidei, si res apud ipsum deterior fiat sine sua culpa?*

Si dominus rem erat conservaturus usque ad deteriorationem, tenetur possessor rem deterioratam restituere. Secus, tenetur ad rem restituendam sicut accepit, vel ad aequivalens.

35. *Quinam dicitur possessor dubiae fidei?*

Ille, qui dubitans an res sit aliena, rem recipit, vel possidet. Hinc si sic dubitans recipiat, seu incipiat possidere rem, dicitur possessor dubiae fidei antecedentis; si bona fide receperit, et postea dubitat, dicitur possessor dubiae fidei consequentis.

36. *Ad quid tenetur possessor dubiae fidei?*

Semper tenetur adhibere diligentiam: si post adhibitam diligentiam dubium non deponitur; tunc si est possessor dubiae fidei antecedentis, tenetur restituere pro rata dubii; si vero est possessor dubiae fidei consequentis, per Probabilioristas tenetur etiam restituere pro rata dubii; per Probabilistas, et aliquos ex Probabilioristis ad nihil tenetur; quia melior est conditio possidentis, et possessio praeponderat aequalitatem rationum oppositarum.

37. *An possessor dubiae fidei tempore diligentiae possit uti re, vel ejus fructibus?*

---

(1) Nempe si casu fortuito periisset apud dominum, et alio casu fortuito, sed non simillimo, neo eodem omnino tempore periit apud possessorem. Ex Codice vig. art. 1256 quomodocumque perit, vel amittitur res furata, non excusatur, qui illam abstulit, a restitutione valoris ipsius rei.

Si res est usu consumptibilis, non potest; aliter frustra adhiberetur diligentia. Si non est talis, potest; dummodo sit paratus solvere pretium usus.

38. *Potestne quis, cum dubitat, an res sit sua, illam eripere a possessore bonae fidei?*

Minime; quia in dubio melior est conditio possidentis.

39. *Peccatne, qui cum dubia fide accipit aliquid?*

Minime, si rem accipiat animo restituendi domino; quia rem gratam facit domino. Ideoque potest etiam repetere pretium, quod solvit, a domino (1), cum restituit.

De restitutione fructuum.

40. *Quid venit nomine fructus?*

Omnis utilitas, quae ex re aliqua colligi potest, deductis expensis.

41. *Quotuplicis generis sunt fructus?*

Multiplicis generis: naturales, industriales, mixti, et civiles. Naturales sunt, qui proveniunt ex natura sine, vel parvo labore; industriales, qui producuntur ex labore, et industria; mixti, qui partim a natura, partim ab industria proveniunt; civiles denique, qui sunt reditus ex certo jure alicui secundum legem competentes.

42. *Ad quos fructus restituendos teneatur possessor bonae, vel malae fidei?*

Possessor, sive sit bonae, sive malae fidei, tenetur ad fructus naturales, et mixtos ex ea parte, qua sunt naturales (2). At possessor bonae fidei tenetur ad istos, si extant (3), et non praescripserit. Possessor autem malae fidei semper tenetur, quamvis dominus non percepisset; quinimo, tenetur etiam ad

(1) Potest repetere pretium vile; et etiam supremum, quando res erat domino valde cara, et hoc supremo pretio fuit empta.

(2) Idem ex Codice art. 472.

(3) Si non extant, tenetur, in quo factus est ditior.

fructus industriales a domino non perceptos ob rem suam ablatam.

At ex Codice vigente possessor bonae fidei facit suos fructus perceptos; dummodo perceperit tamquam proprietarius, et justo titulo art. 474. 475.

43. *An possessor malae fidei teneatur restituere fructus, quos illicite percepit, aut ipse non percepit, et dominus percepisset illicite?*

Fructus naturales, et mixtos, ex ea parte, qua sunt naturales, semper tenetur restituere, etiamsi ipse non perceperit. Tenetur autem etiam ad fructus industriales a domino percipiendos cum peccato, non vero ex peccato (1).

De expensis.

44. *Quotuplicis generis sunt expensae?*

Triplicis generis: necessariae; utiles, et voluptuosae. Necessariae sunt illae, sine quibus res non conservaretur, vel deterioraretur; utiles sunt illae, quibus res pretiosior, et utilior redditur; voluptuosae, quae fiunt ad ornatum, et recreationem.

45. *Quas expensas potest retinere possessor sive bonae, sive malae fidei?*

Necessarias, et utiles potest retinere; quia non est aequum, ut dominus commodum reportaret ex restitutione. De expensis voluptuosis, quaestio inter DD.

(1) Fructus perceptus *ex peccato* est ille, qui provenit ex laesione justitiae, nempe quando injustitia est causa ipsius fructus; perceptus vero *cum peccato* est ille, qui oritur ex laesione alterius virtutis, nempe haec laesio est occasio, et medium percipiendi hujusmodi fructus. Hinc lucrum usurarum, vel ex injusta negotiatione, quod dominus percepisset ex sua pecunia ablata, ei non debetur: si vero pluris domus locata fuisset meretrici, debetur domino; quia non ex peccato, sed cum peccato hoc lucrum dominus percepisset. Denique possessor malae fidei non tenetur domino restituere fructus mere industriales a seipso illicite perceptos; quia dominus nullum jus habet ad illos. Hinc augmentum pretii frumenti ablati, eo quod est venditum hostibus, non debetur domino; quia est fructus merae industriae possessoris.

46. *Quid si res apud dominum esset meliorata, vel conservata sine expensis?*

Possessor bonae fidei potest retinere ; quia potest servare seipsum indemnem. Possessor malae fidei non potest ; quia debet servare dominum indemnem.

47. *Debetne dominus solvere expensas prout fuerunt factae , an prout est utilitas?*

Vel expensae excedunt utilitatem , debet solvere prout est utilitas : vel utilitas excedit expensas, debet solvere prout fuerunt factae ; quia utilitas provenit ex re sua (1).

De Concausis restitutionis.

48. *Quaenam sint concausae restitutionis?*

Sunt , quae continentur in istis versiculis :

Jussio , consilium , consensus , palpo , recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

49. *Num istae causae concurrant eodem modo ad damna?*

Minime. Primae sex positive concurrunt ad damna; quia ponunt actionem influxivam damni, ideoque dicuntur concausae positivae ; reliquae vero negative concurrunt ; quia non ponunt actionem, quae praestanda est ex officio ad impedienda damna: ideoque dicuntur negativae.

50. *Quid venit per verbum* jussio?

Veniunt omnes illi , qui mandant ad inferendum damnum.

51. *Quid est mandatum?*

Mandatum est contractus , quo quis gratis suscipit in se onus faciendi aliquid in gratiam alterius.

52. *Quotuplex est mandatum?*

Multiplex est : generale , et particulare; expressum , et tacitum. Primum , quando datur ad omnia, exceptis illicitis, et illis, quae indigent speciali mandato ; secundum , quando ad aliqua particularia. Ex-

---

(1) Idem statutum videtur ex Codice vig. : argumento desumpto ex devolutione Emphyteusis. Art. 1703.

pressum, quando expressis verbis; tacitum, quando aliquo signo, nutu, vel facto imponitur.

53. *Quotuplici modo expirat mandatum?*

Multiplici modo: per revocationem mandantis; per renuntiationem mandatarii; per mortem mandantis, vel mandatarii; per reconciliationem cum adversario, si mandatum factum fuerit in ejus damnum (1).

54. *Mandans teneturne ad damna illata?*

Maxime; quia ipse est causa efficax damnorum; dummodo non fuerit revocatum mandatum, et revocatio innotuerit mandatario.

55. *Quid si mandatarius excesserit limites mandati, teneturne mandans ad damna illata per hujuscemodi excessum?*

Vel excessus poterat, et debebat praevideri a mandante, quatenus fuit periculosum mandatum, tenetur; secus vero, non tenetur. Alii tamen contrarium sentiunt.

56. *Quid si mandatarius revocationis oblitus exequatur mandatum, teneturne mandans ad restitutionem?*

Quaestio inter DD. Alii dicunt teneri. Alii sic distinguunt: vel mandans poterat, et debebat praevidere mandatarium facile posse oblivisci, tenetur; secus, non tenetur.

57. *Teneturne mandans ad damna illata mandatario in executione mandati?*

Si mandans est Superior, tenetur; quia subditi id, quod faciunt ex voluntate Superioris, quodammodo coacte faciunt; siquidem imperium est quaedam vis moralis. Secus vero, non tenetur; quia volenti, et consentienti nulla fit injuria. At semper mandans tenetur ad damna illata familiae mandatarii; quia mandatarius non poterat cedere juri alieno.

58. *Quinam veniunt per verbum* consilium?

---

(1) Ex Codice art. 1875 extinguitur mandatum etiam interdictione, vel proximo decoctu sive mandantis, sive mandatarii.

Omnes, qui consnlunt, hortantur, instruunt, vel alia media suggerunt ad damnum alteri inferendum.

59. *Quaenam differentia inter consilium, et mandatum?*

Haec est differentia: mandatum fit in gratiam mandantis, et consilium in gratiam consulti. Mandans, revocato mandato, et manifestata hujusmodi revocatione, non tenetur; revocato autem consilio, semper tenetur consulens ad damnum; quia intellectus semel instructus difficile dimovetur.

60. *Danturne casus, in quibus consulens revocato consilio ad damna non tenetur?*

Maxime. Et primus est, quando consilinm fuit falsum, vel falsa doctrina innixum; tunc enim, demonstrata falsitate, et errore, ex malitia consulti damnum provenit. Secundus, quando consulens modis omnibus, et efficacissimis rationibus conatur avertere consultum ab executione pravi consilii; quia tunc actio non videtur amplius virtualiter a consulente provenire.

61. *Teneturne male consulens ad damnum illatum consulto, vel alteri ob suum consilium?*

Vel male consulit ex dolo, tenetur; vel male consulit ex culpa juridica, distinguo: si est persona, quae ex officio peritiam profitetur in illa re, de qua dat consilium, tenetur de culpa lata; et etiam de levi, si stipendium acceperit. Secus, non tenetur.

62. *Num consulens malum teneatur ad damna illata consulto ex suo pravo consilio?*

Non tenetur; quia sibi imputet consnltus, quod ei obvenit. At familiae ejus semper tenetur consulens.

63. *An teneatur ad damna, qui suadet parato ad inferendum damnum, ut damnum citius inferatur?*

Si adsit spes mutandi propositum, aut adveniendi aliquod impedimentum ne damnum obveniat, tenetur pro rata spei. Secns, non tenetur (1).

(1) Qui suadet minus malum parato ad inferendum majus eidem personae, secundum communiorem sententiam non tenetur ad restitutionem, quando excusatur a culpa. Vide in tract. de Peccat. n. 64.

64. *Quinam veniunt per verbum* consensus?

Omnes, qui approbant efficaciter, vel dant suffragium ad inferendum alteri damnum.

65. *Num ad restitutionem teneatur, qui ultimo loco dedit suffragium iniquae sententiae, injustae electioni etc. postquam numerus suffragiorum completus est?*

Si ex suffragio istius confirmentur cetera suffragia; vel ex notitia hujus suffragii alii suffragantes reddantur promptiores ad sequendum suffragium istius ultimi, tenetur uti causa positiva. Si ex negatione hujus ultimi suffragii cetera suffragia possint revocari, tenetur uti causa negativa. Secus, tantum peccat; quia jam posita est causa damni.

66. *Quinam veniunt per nomen* Palpo?

Omnes, qui adulatione, laudatione, vituperatione alium inducunt ad inferendum damnum.

67. *Num isti ad restitutionem teneantur?*

Maxime: dummodo praevideant, vel possint, et debeant praevidere, damnum inde secuturum, etiamsi sine intentione damnum inferendi fecerint.

68. *Quid denotet verbum* recursus?

Denotat illos, qui receptant, recipiunt, favent, conservant malefactorem, vel praedam; et sic securitatem praestant ad damnum inferendum, vel non resarciendum.

69. *Teneturne ad restitutionem, qui furem cum praeda receptant, ut fur effugiat periculum mortis?*

Minime: dummodo praedam domino tradant, si possint absque gravi suo incommodo.

70. *An teneantur ad restitutionem, qui malefactorem receptant, quatenus est cognatus, amicus, hospes etc?*

Minime: modo talis receptatio rapinis non faveat (1).

71. *Quinam veniunt nomine* participans?

Veniunt omnes, qui quolibet alio modo praeter

---

(1) Magnates, vel alii potentes, quando cognoscunt suos subditos, famulos etc. patrare delicta ob protectionem suam, et non impediunt, tenentur ad restitutionem damnorum; quia favent delictis.

enumeratos positive concurrunt ad damnum vel cooperando, vel adjuvando, sive immediate, sive mediate.

72. *Quotupliciter possit participari?*

Dupliciter: vel in re, vel in actione tam lucrativa quam damnificativa (1). Quae actio potest esse vel intrinsece mala, vel per se indifferens.

73. *An participans teneatur ad restitutionem?*

Maxime. Participans in re, tantum ad acceptam partem rei tenetur. Participans in actione vel lucrativa vel damnificativa, tenetur in solidum, vel pro rata, prout actio influxit vel in totum, vel in partem.

74. *Qui gravi metu coactus participat in actione damnificativa, teneturne ad restitutionem?*

Vel participat in actione intrinsece mala, tenetur; vel participat in actione indifferenti, non tenetur.

75. *An, qui materialiter tantum participat, seu cooperatur in actione damnosa, teneatur ad restitutionem.*

Si hujusmodi participatio, seu cooperatio, est culpabilis, et influxiva damni, tenetur; secus, non tenetur.

76. *Quinam veniant per verba* mutus, non obstans, non manifestans?

Veniunt omnes, qui sine justa causa non clamant, non impediunt, non manifestant, cum teneantur ex justitia clamare, impedire, manifestare, ne alteri damnum obveniat.

77. *Teneturne ad restitutionem damni, qui a damnificante aliquid accepit, ut taceat?*

Maxime: dummodo hac conventione damnificans reddatur animosior.

78. *Num servus, qui videt furari bona domini sui, teneatur ad restitutionem, si non clamet ad impediendum furtum?*

Cum distinctione: si ille, qui furatur, est extraneus, tenetur; quia servus ratione famulatus obli-

(1) Actio damnificativa, vel lucrativa: quando scilicet plures concurrunt ad actionem, ex qua sequitur damnum, vel aliquod lucrum provenit.

gatur ad tuenda bona domini ab injuria exterorum. Si ille, qui furatur, est conservus, iterum distinguitur: vel furatur ea, quae sibi sunt concredita, tenetur, quia ex officio tenetur clamare; vel furatur ea, quae sibi non sunt concredita, non tenetur. At si conservus fugiat, et tunc juxta aliquos DD. tenetur; quia habetur uti fur extraneus.

79. *Custodes vectigalium, saltuum, etc. teneturne ad restitutionem, eo quod non accusant defraudatores, etc. aut vectigalia exigere negligunt?*

Maxime. Nam ex officio obligantur impedire hujusmodi damna (1).

De ordine restitutionis quoad concausas.

80. *Quo ordine concausae ad restitutionem tenentur?*

Vel loquimur de actione lucrativa, puta de furto; et tenetur primo loco ille, apud quem res extat, etsi rem consumpserit. Secundo loco tenetur mandans, postea mandatarius. In defectu istorum tenentur aliae concausae positivae; et quidem in solidum, si egerint ex conspiratione, vel singulae concurrerunt ad totum damnum. Ultimo loco tenentur concausae negativae, prout dictum est de positivis. Vel loquimur de actione damnificativa; tenetur primo loco mandans, secundo mandatarius; postea concausae positivae; ultimo loco negativae: sicut supra dictum est.

81. *Si facta fuerit restitutio ab una ex concausis remanentne aliae immunes ab obligatione restitutionis?*

Videndum: si restitutio facta fuerit a causa principali, scilicet a mandante, tunc ceterae concausae liberantur ab obligatione restitutionis; quia istae veniunt in defectu causae principalis. Si facta fuerit restitutio a mandatario, aliae concausae remanent liberae, excepto mandante, qui debet restituere mandatario. Sic, facta restitutione ab una de concausis

---

(1) An isti teneantur ad poenam seu multam, quam defraudatores solvissent, si fuissent accusati ab ipsis, quaestio inter DD.; sed probabilius non tenentur.

positivis, negativae remanent liberae. At concausa minus principalis, sive sit positiva, sive sit negativa, quae restituit, potest repetere aut totum a concausa principali, aut pro rata ab aliis concausis (1).

De obligatione restituendi ob injustum impedimentum boni alterius.

82. *Quotuplici modo potest quis aliquod bonum sperare?*

Duplici modo: vel ex liberalitate collatoris, vel ex justitia; quatenus scilicet habet jus in re, vel ad rem.

83. *Quotuplici modo potest quis impediri a consecutione alicujus boni sperati?*

Duplici modo: vel juste, vel injuste. Juste, quando ex justa causa impeditur, nempe quia est indignus; injuste, quando absque justa causa.

84. *Num teneàtur ad restitutionem ille, qui injuste impedivit aliquem a consecutione alicujus boni?*

Videndum: vel impedivit a bono, quod debebatur ex justitia, tenetur; quia habetur laesio juris alterius. Vel a bono, quod sperabatur ex liberalitate collatoris; tunc si malis artibus impediverit, tenetur, si bonis artibus, non tenetur; quia preces non tollunt voluntarium (2).

85. *Teneturne ad restitutionem ille, qui impedivit, quominus promissio alteri facta adimpleatur?*

Si promissio fuerit acceptata, tenetur; si non fuerit acceptata, et bonis artibus impedivit, non tenetur.

86. *Teneturne ad restitutionem damni ille, qui ex manifestatione delicti occulti aliquem impedivit ab assecutione alicujus Beneficii Ecclesiastici?*

Si manifestatio sit de delicto, quod de jure red-

---

(1) Si concausa, quae restituit, tenetur ad partem, in quam influxit, aliae concaussae ad caeterum tenentur, dempta parte restituta ab ista concausa.

(2) Malae artes sunt mendacia, dolus, detractiones etc. bonae artes sunt preces, mediationes amicorum etc.

dit promovendum indignum; tunc si ex tali manifestatione cuicumque facta impediverit, non tenetur. Si manifestatio sit de delicto, cujus manifestatio parit infamiam, quae inde reddit promovendum indignum; tunc si fiat collatori, vel iis, quorum interest, non tenetur; si aliis, tenetur.

De obligatione restitutionis rei acceptae ob turpem causam.

87. *Num acceptum ob turpem causam sit restituendum?*

Distinguendum: si sermo sit de illis, in quibus jus inhabilitat, veluti in simonia, usura, etc., est restituendum. Si sermo sit de aliis rebus, subdistinguendum est: si ante factum acceptum fuerit, est restituendum; quia non est adimpletum adhuc pactum: si post factum, quaestio inter DD. Excipitur lucrum ex meretricio acceptum; quia lex admittit in poenam scortatoris (1).

88. *An meretrix debeat restituere, quod a Religioso accepit?*

Maxime: ex accuratiori sententia, etiamsi Religiosus habuerit licentiam alienandi; quia licet habuerit hujusmodi licentiam, semper praesumitur ad licita, et honesta habuisse (2).

89. *Num uxor teneatur ponere in commune peculium, quod accipit ob copiam sui corporis?*

Minime; quia maritus nullum habet jus ad illud, cum sit valde odiosum.

90. *Judex teneturne restituere, quod accipit pro exercenda justitia?*

Si acceperit pro justa sententia ferenda, distinguendum: si est stipendiatus, tenetur restituere; si non est stipendiatus, et non tenetur. Si pro injusta sententia ferenda; et tunc ante factum, tenetur; post factum, est quaestio inter DD.

(1) L. 4. D. de condit. ob turpem causam.

(2) Alii tamen contrarium docent, posse nimirum meretricem retinere acceptum hujusmodi, quando Religiosus habet licentiam alienandi.

De obligatione restitutionis ex delictis.

91. *Quaenam delicta obligant ad restitutionem?*
Illa delicta, quae sunt causa damni alterius.

92. *Qui commisit furtum, teneturne ad restitutionem?*
Maxime; et etiam ad omnia damna.

93. *Teneturne sub levi, an sub gravi, qui per plura furtula pervenit ad materiam gravem?*
Ad illam partem, qua fit materia gravis, tenetur sub gravi; ad reliquum sub levi. Et in contrarium adest propositio damnata ab Inn. XI. (1).

94. *Quibus facienda est restitutio de ablatis per plura furtula diversis personis?*
Si personae, quibus res est ablata, noscantur a fure, illis est facienda restitutio. Si non cognoscantur, communitati damnificatorum est facienda: scilicet vel applicando operibus piis; vel augendo mensuram, vel diminuendo pretium, si ablatum fuerit in vendendo.

95. *Homicidae, mutilatores, vulnerantes, teneturne ad damnum illatum?*

---

(1) Prop. 38. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

In Tractatu de peccatis n. 138. dictum est: furtum leve ob parvitatem materiae posse fieri grave, 1. ratione gravis damni illati; 2. ratione inductionis ad damnum grave inferendum; 3. ratione magni moeroris domino allati; 4. ratione finis mortalis adjuncti; 5. ratione intentionis perveniendi ad grave. In primo casu sub levi facienda est restitutio rei ablatae, et sub gravi reparatio damni. In secundo casu sub gravi facienda reparatio damni secuti. Restitutio vero rei ablatae etiam sub gravi facienda est, si alii suo exemplo probabiliter restituant; secus sub levi. In tertio sub levi, si cessaverit tristitia domini; in quarto et quinto sub levi facienda est restitutio.

Ex communi DD. sententia cum D. Lig. l. 3. n. 534. tenentur sub gravi, qui per furtula auferunt gravem summam, licet diversis personis: parvum scilicet cuique auferendo; quia grave damnum afferunt societati humanae.

Maxime: excepta compensatione vitae, et partis mutilatae; quia haec non sunt pretio aestimabilia.

96. *Tenenturne isti ad lucrum cessans, et damnum emergens?*

Maxime; quantum aestimabitur judicio prudentum (1).

97. *Quibus sunt compensanda damna ex homicidio illata?*

Damna orta ante mortem sunt compensanda haeredibus omnibus; damna post mortem, tantum haeredibus necessariis.

98. *Teneturne occisor etiam ad debita occisi?*

Maxime; si defunctus non reliquerit, quod sufficit ad debita solvenda, et judicio prudentum potuisset solvere debita ex suo labore, et industria. At haec solutio est detrahenda ex his, quae debentur haeredibus.

99. *Tenenturne haeredes occisoris ad damna, si occisor ante mortem non satisfecerit?*

Maxime; si occisor bona reliquerit.

100. *An, qui occidit in duello, teneatur ad restitutionem?*

Si provocans occidit provocatum, tenetur; si vero provocatus provocantem occidit, tantum tenetur ad damna illata familiae provocantis.

101. *Num ex homicidio casuali quis teneatur ad restitutionem?*

Si damnum evenerit ex homicidio mere casuali, non tenetur; quia deest culpa. Si ex homicidio mixte casuali, tenetur; quia est indirecte voluntarium, et culpa habetur in causa.

102. *Num obligatio restitutionis oriatur ex adulterio?*

Ex ipso delicto adulterii nulla obligatio restitutionis oritur, si nullum damnum sequatur. Si vero partus habeatur, tunc adulteri tenentur in solidum ad damna. Ideoque per triennium adultera tenetur la-

---

(1) Ad expensas funerum non tenetur occisor, si hujusmodi expensae alio tempore semper essent faciendae.

clare, vel alere; a triennio usquedum proles possit ipsa sibi providere de alimentis, tenetur adulter. Tenentur vero etiam ad alia damna illata vel marito, vel haeredibus.

At ex Codice vigente tenentur ambo, adulter primò loco, et adultera in defectu adulteri. Art. 678.

103. *Quid si dubitetur, utrum ab adultero, an a marito proles sit genita?*

Et tunc tenetur pro rata dubii judicio prudentum (1).

104. *Quomodo teneatur adultera damna compensare?*

Tenetur dare filiis legitimis, quod potest relinquere extraneis; laborare, quantum potest, ad compensandum damna, et parcere rebus suis, ut habeat, unde compensare; consulere tandem filio spurio ingressum in Religionem.

105. *Teneturne adultera, quae non habet spem compensandi, manifestare spurio suum crimen?*

Minime. Nam hoc medium est inutile, et valde durum; cum filius non teneatur credere matri, nec mater prodere seipsam; quia fama est majoris ordinis.

106. *Ad quid tenetur corruptor virginis?*

Si vi, vel fraude, vel dolo virginem corruperit, seu defloraverit, tenetur ad omnia damna illata honori, famae, fortunae virginis, et parentum. Si vero ipsa consentiente corruperit, tenetur tantum ad damna illata parentibus (2). At ad nihil tenetur, si nullum damnum evenerit.

107. *An teneatur deflorator ducere eam in uxorem, etsi nulla praecesserit promissio matrimonii?*

Si compellatur per sententiam judicis, tenetur, etiam in conscientia: ex cap. 1. et 2. De adulterio. Secus, salubre consilium est.

---

(1) Alii contrarium sentiunt; quia in dubio praesumptio stat pro matrimonio. Vide apud D. Lig. lib. 3. n. 657.

(2) An deflorator, quando puella consenserit absque promissione matrimonii, teneatur ad damna fortunae, seu in bonis, causata parentibus, quaestio. Vid. D. Lig. lib. 3. n. 641. in §. 1.

108. *Ad quid tenentur, qui damna alteri inferunt ex detractione, aut contumelia, aut ex illicita manifestatione alicujus rei occultae?*

Tenentur ad damna causata, et ad famam restituendam.

109. *Qui falso accusavit aliquem, et ex hoc accusatus damnatur morte, teneturne accusator falsam accusationem detegere, etiam cum periculo vitae?*

Maxime; dummodo probabilis spes adsit liberandi accusatum a morte. Aliter, ad opus inutile nemo tenetur.

110. *Dantur casus, in quibus quis excusatur a restitutione famae?*

Maxime: et 1. quando adest impossibilitas aut physica, aut moralis restituendi famam; 2. quando facta fuit condonatio ab infamato; 3. quando infamatus recuperavit famam; 4. quando delictum alia via factum est publicum. Tandem quando per longum tempus infamia deleta est.

De tempore, loco, expensis, et periculo in restitutione facienda.

111. *Quo tempore facienda est restitutio?*

Vel restituenda est res injuste accepta, seu a possessore malae fidei, restituenda est a principio; vel restituenda est res juste accepta, seu a possessore bonae fidei, facienda est restitutio quando ille venit in malam fidem; dummodo commode possit. Si res est ex contractu accepta, restituenda est tempore in contractu statuto; etiamsi dominus non petat; quia dies statuta pro domino interpellat. Si vero tempus non sit statutum, restituenda est, quando dominus petit: dummodo non intercesserit juramentum; vel dominus non petat ob aliquam causam, puta ob verecundiam, metum etc.; quia tunc restituenda est quamprimum.

112. *Quo loco facienda est restitutio?*

Vel restitutio facienda est a possessore bonae fidei, est facienda loco, quo res habetur, et cogno-

scitur esse aliena. Vel a possessore malae fidei, est facienda eo loco, quo dominus rem esset habiturus, si non esset ablata. Si restitutio facienda est ex contractu, et in contractu non est locus designatus, tunc facienda est eo loco, quo res fuit accepta; quia restitutio ex natura sua est repositio rei in pristinum statum (1).

At ex Cod. vigente art. 1200. si non est in contratu locus statutus, et agitur de re certa, et determinata, est restituenda loco, ubi reperiebatur tempore contractus; aliter, domicilio debitoris.

113. *Cujus expensis facienda est restitutio?*

Si facienda est a possessore bonae fidei, facienda est expensis creditoris, seu domini. Si a possessore malae fidei, facienda est restitutio expensis debitoris, seu possessoris. Si facienda est restitutio ex contractu, et non est conventum de expensis, tunc facienda est expensis illius, in cujus favorem initus est contractus. Si vero initus est contractus in favorem utriusque, tunc facienda est restitutio expensis debitoris usque ad locum, quo res fuit accepta; ad alium locum vero est facienda expensis domini.

At ex Codice vigente art. 1201. facienda est expensis debitoris, nisi aliud sit statutum in contractu. Ex art. 1814. in restitutione depositi expensae debent fieri a deponente. Ex quo facilius colligi potest, restitutionem ex contractu merito faciendam esse expensis illius, in cujus favorem initus fuit contractus.

114. *Num denuo facienda sit restitutio, quando res missa per fidam personam non pervenit ad creditorem?*

Si res debebatur a possessore malae fidei, vel ex contractu transferente dominium, debet denuo fieri restitutio; quia isti tenentur etiam de casu fortuito. Si secus, non debet iterum fieri restitutio; nisi intercesserit culpa, mora, vel pactum.

115. *Dantur casus, in quibus non debet denuo fieri restitutio ab iis, qui tenerentur?*

(1) Alii dicunt esse faciendam restitutionem loco, quo fuit celebratus contractus.

Maxime, et sunt: quando ipse rei dominus elegerit asportatorem; quando dominus dederit facultatem debitori eligendi asportatorem, et debitor fidam personam elegit; quando debitor est compulsus a judice ad rem tradendam tali asportatori (1).

De personis, quibus facienda est restitutio.

116. ***Cuinam res sit restituenda, possessori, an domino?***

Si res fuit ei erepta, qui habebat justum titulum possidendi, uti commodatum, depositum, etc. huic possessori est restituenda. Si vero fuit erepta possessori non habenti justum titulum, domino est restituenda.

117. *Quid si dubitetur, an illam justo titulo quis possideret?*

Et tunc possessori est restituenda; quia melior est conditio possidentis.

118. ***Res accepta ex contractu, si postea cognoscatur esse alterius, estne restituenda possessori, seu ei, a quo est accepta, an domino?***

Si res est accepta ex contractu gratuito, domino est restituenda; quia et qui accepit, et qui possidebat, non habebat jus retinendi (2). Si vero est accepta ex contractu oneroso; lis est inter DD. At ex aequitate potest restitui possessori, ut restituens recuperet suum pretium, monendo tamen dominum de tali restitutione; quia nemo cum sua jactura tenetur servare dominum indemnem.

---

(1) In his concordat Codex vigens.

(2) Si vero quis deprehendat rem apud ipsum depositam non esse ejus, qui deposuit, debet restituere deponenti, ut servet fidem depositi: item dicendum de re in pignus data, vel commodata. Idem statuit Codex de deposito art. 1810. hac tamen imposita conditione: scilicet, ut moneatur dominus, qui intra determinatum tempus reclamet rem suam. Quod si dominus ob negligentiam non reclamet, potest depositarius rem depositam furi restituere.

119. *Cuinam sit restituenda res ablata personae jam mortuae?*

Haeredibus, si sunt; secus, pauperibus.

120. *Quid si quis bona fide applicaverit pauperibus, et non restituerit haeredibus?*

Secundum Salmanticenses non tenetur ad alteram restitutionem (1); quia nulla ei superest obligatio neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione.

121. *Cuinam restituenda bona incerta?*

Bona incerta sunt illa, quae habent dominum, sed non cognoscitur. Ejusdem autem bona sunt ponenda in capsam incertorum: scilicet danda sunt pauperibus, vel piis operibus applicanda (2).

122. *Quid si dominus cognoscatur post factam applicationem?*

Si praecesserit debita diligentia, non est amplius restituendum; quia dominus habet jus, ne sibi damnum afferatur ex omissione debitae diligentiae.

123. *Num pauperes, invento domino, teneantur ad restitutionem?*

Si acceperint ab illo, qui diligentiam omiserit in applicatione bonorum, tenentur; quia dominium non est translatum; dummodo non praescripserint, vel consumpserint, et in nihilo facti sint ditiores (3).

124. *Cuinam sint restituenda bona vacantia?*

Bona vacantia sunt, quae remanent post mortem alicujus, qui nec haeredes habet, nec testamentum condidit. Haec bona ex jure positivo cedunt Fisco, si sint bona laicalia; si Ecclesiastica, cedunt Ecclesiae; aut alicui corporationi legitimae, si illius corporationis personae sint. At ex codice vigentè, art. 464. cedunt Fisco.

125. *Cuinam cedant bona derelicta?*

---

(1) De Rest. tract. 13. c. 1. pun. XI. §. 1. n. 102.

(2) Ex aliquibus Theologis, quando post omnem debitam expletam diligentiam dominus inveniri non potest, inventor potest sibi ea retinere; quia habentur tamquam bona derelicta. D. Ligorius lib. 3. n. 603.

(3) Lege D. Ligorium lib. 3. n. 590. Quaer. 2.

Bona derelicta sunt, quae abjiciuntur animo non amplius habendi in proprio patrimonio, vel quae dominus non curat recuperare, cum facile possit. Haec bona cedunt primo occupanti; quia ex derelictione fiunt communia.

126. *An bona naufragorum sint bona derelicta?*

Minime; quia dominus ea non projecit animo amittendi, sed evadendi periculum naufragii.

127. *Inciditne in aliquam poenam, qui bona naufragantium surripit?*

Maxime: ex Bulla Coenae in excommunicationem Papae reservatam, concurrentibus hisce conditionibus: scilicet 1. ut sint bona Christianorum; 2. ut surripiantur in ipso naufragio, vel in ipsa navi in transversum jactata, vel in littore maris; 3. ut surripiantur in notabili quantitate (1).

128. *Ad quem spectat thesaurus?*

Thesaurus est vetus depositio pecuniae, vel alterius rei similis, cujus depositionis non extat memoria, aut cognitio. Jure naturae spectat ad inventorem, prout est res derelicta. Jure positivo, si inveniatur in proprio fundo, ad dominum fundi spectat; si in alieno fundo casu inventus fuerit, dimidium ad inventorem, et dimidium ad dominum fundi. Inventus vero data opera, et industria in alieno fundo, ad dominum fundi spectat, quia non licet in alieno fundo, domino invito, quaerere. Si autem arte magica inveniatur, ob poenam totus Fisco cedit.

At ex Codice vigente cedit domino fundi, si in proprio fundo; si in alieno fundo inveniatur, pro medietate inventori, et pro alia medietate domino fundi. Art. 636.

(1) Cum isthaec excommunicatio sit ex Bulla Coenae reservata, quoniam nunc non viget haec Bulla, non est reservata, ut erat olim ex Cap. 3. Excomm. de raptoribus. Vide Consalez in cit. cap. *Excom.* n. 9.

De ordine restitutionis servando, quando bona debitoris non sufficiunt.

129. *Quo ordine facienda sit restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus?*

Si res aliena extat in specie, et non est translatum dominium, est restituenda domino, si cognoscatur, vel haeredibus; aliter, pauperibus; quia debitor debet solvere debita ex bonis propriis, non alienis. Si res aliena non extat in specie, vel est translatum dominium, computanda est cum caeteris bonis debitoris. Postea sic procedendum: de bonis debitoris primo deducendae sunt expensae funerum, confectionis testamenti etc., honoraria medicorum, pretia medicaminum. Deinde primo sunt solvenda debita ex contractu oneroso, et postea ex contractu gratuito (1). Primo debita certa, postea incerta. De debitis certis prius hypothecaria, postea chirographaria. In hypothecariis prior tempore, potior in jure, regulariter loquendo (2). In chirographariis nulla praelatio, sed pro ra-

(1) Uti esset votum, legatum, donatio etc. Vota tamen praeferuntur legatis.

(2) Dixi de hypothecariis: *prior tempore, potior in jure regulariter loquendo*; quia aliquae hypothecae sunt ex privilegio juris praeferendae. Scilicet praeferenda est hypotheca illius, qui dedit pecuniam ad conservandum immobile, vel ad reficiendum, vel ad emendum fundum postea alteri hypothecatum. Item hypotheca dotis super immobilibus mariti semper praeferenda est anterioribus tacitis, et posterioribus expressis, idest specialibus. Rursus praeferenda est hypotheca pupilli, minoris, militis, quando res empta fuit pecunia istorum. Denique hypotheca Fisci.

At ex Codice vigente art. 1992. non conceduntur praelationes in immobilibus, nisi in publicis hypothecarum tabulis inscribantur. Excipiuntur expensae judiciariae, funerum, ultimae infirmitatis; salaria famulorum pro ultimis sex mensibus, et mense currenti, subministrationes pro victu debitoris, vel familiae factae pro ultimis sex mensibus, si a venditore minutim, alias pro ultimo anno. Hi omnes con-

ta dividenda sunt bona, quae remanent (1).

De causis, quibus suspendi potest obligatio restitutionis.

130. *Quaenam sint causae, ob quas suspendi potest obligatio restitutionis?*

Sunt sequentes: bonum creditoris, vel tertiae personae; damnum debitoris, vel proximi; impotentia debitoris; et cessio bonorum.

131. *Teneturne depositarius restituere rem domino, si certo sciat dominum ea abusurum ad peccatum?*

Minime; quia restitutio hujusmodi cedit in damnum domini, et proximi.

132. *An quis possit differre restitutionem, si restituendo patiatur damnum superioris ordinis?*

Maxime; quia ex justitia commutativa, quae exigit aequalitatem, non datur obligatio ad restitutionem cum jactura boni superioris ordinis (2).

---

servant hypothecam in omnibus bonis immobilibus, et mobilibus absque hujusmodi inscriptione hypothecaria art. 1993. 1970. 1973. Excipitur etiam hypotheca minoris, et interdicti super immobilibus tutoris a die acceptae tutelae, et hypotheca dotis super immobilibus viri a die celebrationis matrimonii. Hae hypothecae ne inscribi quidem debent a minore, vel ab interdicto, vel ab uxore, nisi infra annum acquisitae majoris aetatis quoad minorem, et quoad uxorem intra annum a matrimonio soluto per mortem mariti: art. 2032. 2033. Attamen debent tutores pro minore, vel maritus pro uxore inscribere hypothecas art. 2022. Sicut etiam Tabbellionis interest in stipulatione dotis eam inscribere in publicis tabulis hypothecariis art. 2028.

(1) At potest prae creditoribus ejusdem speciei totum retinere, quod repetiit, chirographarius, qui diligentior fuit ad suum repetendum, aut per sententiam judicis, aut per suam solertiam. Sicut etiam est privilegiatus prae creditoribus ejusdem speciei chirographarius, qui deponit pecuniam apud nummularium sine usura; et qui pecuniam credidit alteri ad navim construendam.

(2) Bona possunt esse duplicis generis: scilicet spiritualia; uti gratia, salus aeterna etc.; et naturalia, quae sunt triplicis ordinis: idest supremi, uti vita, libertas; medii,

133. *Potestne differri restitutio ab eo, qui restituendo caderet e proprio statu?*

Vel caderet a proprio statu juste acquisito, et in tali periculo absque sua culpa reperitur, potest differri. Vel caderet a proprio statu injuste acquisito, non potest; quia restituendo rediret in pristinum statum.

134. *Teneturne debitor ad restitutionem, si non restituendo aequale damnum pateretur creditor?*

Maxime; quia in pari causa melior est conditio creditoris. At non tenetur, si debitor caderet in extremam necessitatem, in quam etiam caderet creditor; quia in extrema necessitate omnia sunt communia.

135. *Consumptum tempore extremae necessitatis estne restituendum?*

Distinguendum: si alienum acceptum fuerit ante extremam necessitatem, est restituendum; quia per necessitatem extremam advenientem suspenditur, non tollitur obligatio restitutionis. Si acceptum fuerit alienum tempore extremae necessitatis, et iterum distinguendum: vel acceptum fuit ex contractu transferente dominium, est restituendum; quia tunc non amplius habetur extrema necessitas; vel ex contractu non transferente dominium, non est restituendum; quia in extrema necessitate omnia sunt communia.

136. *Qui habet causam differendi restitutionem, teneturne ad damna emergentia, et lucra cessantia?*

Si tenebatur ad restitutionem ex delicto, tenetur ad hujusmodi damna, et lucra; secus, non tenetur.

137. *Estne causa sufficiens ad differendam restitutionem privatio magni lucri debitoris?*

Si hoc lucrum esset sufficiens ad satisfaciendum creditori, aut aliis creditoribus, et nullum damnum obvenit creditori, ex aequitate potest debitor restitutionem differre (1). Secus, non potest.

---

uti fama, honor; et infimi ordinis, ut divitiae, et alia pecunia aestimabilia.

(1) Nam creditor sine suo damno esset inrationabiliter invitus ad hanc dilationem.

138. *Cessio bonorum liberatne debitorem ab onere restitutionis ?*

Minime; quia tantum suspendit restitutionem, non tollit (1).

De causis, quibus tollitur obligatio restitutionis.

139. *Quaenam sint causae, quae tollunt onus restitutionis ?*

Sunt sequentes: condonatio, compositio, compensatio, et praescriptio.

De condonatione.

140. *Quid est condonatio ?*

Est remissio debiti a creditore facta debitori vel quoad totum, vel quoad partem.

141. *Quaenam conditiones requirantur ad validam condonationem ?*

Duae: scilicet ut sit omnino libera, et a jure non impedita.

142. *Quae sint condonationes a jure impeditae?*

Sequentes: condonatio facta a visitatis visitatoribus; ab inquisitis inquisitoribus; a Partibus judici delegato Ecclesiastico; a Canonicis Canonico, qui non interfuit choro (2).

---

(1) At hoc privilegium non conceditur debitoribus ex delicto; quia qui non habet in aere, debet luere in corpore. L. 1. D. de poenis.

Qui est debitis obstrictus, et profitetur Religionem, valide profitetur ex decreto Clementis VIII. moderante decretum Xysti V. Illicite vero profitetur, si brevi tempore poterat prius solvere debita; secus, an illicite, quaestio inter DD. At quaestio isthaec intelligenda videtur; si sine fraudibus: nempe ut satisfiat Divinae vocationi, non vero ad eludendos creditores. D. Lig. lib. 4. n. 71.

(2) Nulla est condonatio facta a visitatis visitatoribus Ecclesiae; modo non sit de esculentis necessariis ad victum pro diebus; quibus fit visitatio. Et tenentur visitatores ad duplum restituendum sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiæ,

143. *An possit esse valida condonatio debiti quoad partem ob timorem amittendi totum?*

Si nulla intercesserit fraus ex parte debitoris, valida est; quia voluntaria. Secus, nulla.

144. *Facta condonatione uni ex concausis in damnificatione liberanturne aliae concausae ab obligatione restitutionis?*

Distinguendum est: si facta fuit condonatio causae principali, puta mandanti, aut executori, aliae concausae minus principales liberantur a restitutione; quia veniunt in defectu principalium. Si facta fuit uni ex minus principalibus, puta consultori, palponi etc., non liberantur a restitutione quoad reliquum, dempta quantitate illi concausae condonata; quia istae tenentur pro rata, et una tenetur in defectu alterius.

145. *Quid si quis condonet uni ex tribus personis, a quibus fuit damnificatus ex conspiratione in tercentum ducatis, et alia est impotens ad restituendum, ad quid tenetur tertia persona volens restituere?*

Tenetur ad centum quinquaginta. Nam pars illius personae, quae est impotens, dividenda est inter illam, cui fuit facta condonatio, et aliam, quae vult restituere.

De compositione.

146. *Quid compositio?*

Compositio vel intelligitur quoad bona certa, vel quoad bona incerta. Compositio primo sensu sumpta est amicabilis conventio creditoris cum debitore remittendo ei partem debiti certi. Compositio secundo sensu sumpta est rescriptum, seu facultas a Summo Pontifice obtenta, qua debitor possit applicare sibi bona incerta.

si sunt Episcopi, et Episcopis superiores; si sunt inferiores Episcopis sub poena suspensionis ab officio, et beneficio. Est nulla condonatio facta inquisitoribus de illo, quod extorserunt praetextu officii inquisitionis. Nulla est condonatio facta a partibus judici Ecclesiastico delegato. Tandem nulla est condonatio facta ab aliis Canonicis Canonico, qui choro non interfuit.

147. *Compositio tollitne obligationem restitutionis?*

Quoad bona incerta tollit; quia ex jure Ecclesiastico bona ista sunt ponenda in capsam incertorum; et Summus Pontifex potest ex dispensatione debitori applicare (1). Quoad bona certa tollit tantum illam partem, quae fuit remissa.

De compensatione.

148. *Quid est compensatio?*

Est debiti, et crediti invicem inter se contributio.

149. *Tollitur ne obligatio restitutionis per compensationem?*

Maxime; quia est instar solutionis.

150. *Quaenam requirantur ad validam compensationem?*

Sequentia: scilicet ut debitum sit certum, et liquidum (2); ut debitum sit ex justitia commutativa; ut tantum accipiatur, quantum est debitum; ut compensatio fiat de bonis debitoris.

151. *Quaenam requirantur ad licitam compensationem?*

Ut non sit alia via, seu medium, ad recuperandum suum; et ut non fiat in damnum debitoris, vel alterius.

152. *Liberaturne a restitutione, qui restituit creditori sui creditoris?*

Si debitum sit ex eadem causa, liberatur; secus, non.

153. *Famuli possuntne aliquid surripere a domino ad compensandum suum laborem, quem existimant salario majorem?*

Minime; quia possunt hallucinari; et in con-

(1) Secundum aliquos Doctores Pontifex potest applicare bona certa in aliquo gravi, et urgenti casu. Utrum debeant restitui bona incerta a Pontifice per compositionem applicata, si dominus illorum bonorum postea noscatur, quaestio inter Theologos.

(2) Juxta aliquos, ut sit debitum etiam praesens, et actuale.

trarium adest propositio damnata ab Inn. XI. (1).

154. *Dantur casus, in quibus licite possunt isti famuli uti hujusmodi compensatione?*

Maxime: et 1. quando cessat periculum hallucinationis, puta ob consilium viri prudentis; 2. quando dominus non solvit salarium secundum pacta; 3. quando servus recipit a domino merces pro salario, quas cogitur vendere viliori pretio.

155. *Qui necessitate compelluntur ad inserviendum parvo pretio, possuntne uti compensatione?*

Si ex necessitate communi adigantur ad famulatum, non possunt uti compensatione; quia ex abundantia servorum minuitur stipendium famulatus. Si ex necessitate particulari, possunt uti compensatione usque ad infimum pretium justum.

156. *Quid si famulus vi, aut metu compellatur servire parvo pretio?*

Potest se compensare usque ad infimum, vel medium justum pretium (2).

De praescriptione.

157. *Quid est praescriptio?*

Est acquisitio dominii rei alienae per continuatam possessionem bona fide, tempore, et modo a lege definito.

158. *Acquiriturne in conscientia per praescriptionem dominium rei alienae?*

Maxime; quia Princeps ex vi alti dominii po-

---

(1) Prop. 37. *Famuli, et famulae domesticae possunt occulte ab heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

(2) Ex dispositione juris irritae sunt compensationes in sequentibus casibus: quando debetur aliquid civitati ratione vectigalium vel tributi; quando debetur debitori ratione depositi, vel commodati; quando quis tenetur ratione furti, vel rapinae. At hoc non valet in foro conscientiae, si desit alia via ad recuperandum suum. Ex cod. vigente art. 1247. additur alius casus: quando debetur ex causa alimentorum non sequestratorum.

test ob bonum commune id sancire: uti patet ex L. 1. D. de Usucap., et ex titulo de praescript.

159. *Quaenam conditiones requirantur ad validam praescriptionem?*

Sequentes: justus titulus, bona fides, continuata possessio, capacitas rei, et tempus a lege definitum.

160. *Quid, et quotuplex est possessio?*

Possessio est detentio rei. Et triplex est: naturalis, civilis, et mixta. Prima est detentio rei, quando actu seu facto possidetur. Secunda est, quando animo possidetur cum juris adminiculo. Ultima, quando possidetur actu seu facto, et animo cum juris adminiculo. Prima non sufficit, secunda sufficit ad praescriptionem.

161. *Quid et quotuplex sit titulus?*

Titulus est causa per se habilis ad transferendum dominium. Titulus vero duplex est: verus, et coloratus. Primus est causa specialis, ex qua de facto transfertur dominium. Secundus est causa per se sufficiens ad transferendum dominium, quamvis ob aliquod impedimentum non transferatur. Hinc titulus coloratus sufficit ad praescriptionem; quia titulus verus non indiget praescriptione.

162. *An detur praescriptio sine titulo?*

Maxime; per tempus extraordinarium, idest per spatium triginta annorum (1).

163. *Quid est bona fides?*

Uti sumitur in praesenti, est credulitas, seu sin-

(1) Codex vigens concordat cum hoc Romano jure. Tam actiones reales, quam personales, sine obligatione ostensionis tituli, et exclusa exceptione malae fidei, seu etiamsi opponatur mala fides, praescribuntur per spatium triginta annorum. Art. 2168. Pro praescriptione mobilium possessio valet pro titulo. Art. 2185. Attamen qui rem aliquem mobilem amisit, vel cui fuit ablata, jus habet eam vindicandi a manu tertii spatio trium annorum a die amissionis, vel furti. Elapso hoc tempore praescribuntur in manu possessoria bonae fidei cit. art. 2185. Ex eodem Codice titulus nullus ex defectu formae legalis non sufficit ad praescribendum, art. 2173.

vera rei alienae ignorantia, qua prudenter creditur, rem alienam esse propriam.

164. *Debetne bona fides haberi a principio usque ad tempus definitum, ut praescribatur?*

Maxime. Nam quando deficit bona fides a principio, aut non perseverat, non potest praescribi.

165. *An mala fides primi possessoris possit nocere bonae fidei secundi?*

Minime: uti constat ex L. 5. D. de divers. temporis praescript., et ex communi Theol. sententia. At mala fides defuncti nocet haeredi universali; quia iste fictione juris censetur una persona cum defuncto. L. 11. *Cum haeres* D. tit. citat. (1).

166. *Quaenam res possint praescribi?*

Omnes, quae sunt in commercio. Hinc res sacrae, et religiosae non possunt praescribi in manu laici: res publicis usibus destinatae; bona pupillorum, et homo liber, et res furtiva in manu tertii, vel vi possessa (2) ne possunt quidem praescribi.

167. *Quodnam temporis spatium requiratur ad praescribendum?*

Si agitur de rebus mobilibus, et cum titulo, requiritur spatium trium annorum. Si de immobilibus cum titulo, inter praesentes spatium decem annorum, inter absentes duplum. Si vero dominus partim est praesens, et partim absens, tunc anni absentiae debent duplicari, ita ut duo anni absentiae computentur pro uno.

168. *Quinam dicitur praesens, quinam absens?*

---

(1) Si vero haeres est mediatus, seu haeres haeredis, dummodo suus antecessor immediatus fuerit possessor bonae fidei, huic non nocet mala fides illius primi defuncti, qui instituit haeredem, a quo iste secundus haeres habet haereditatis institutionem. Ita Doctores.

Idem potest desumi ex Codice vig. art. 2142. 2143. et seqq.

(2) Res hujusmodi ex jure Romano non praescribuntur in manu tertii, nisi cum titulo, bona fide, et per spatium triginta annorum inter praesentes, quadraginta inter absentes. D. Ligorius lib. 3. n. 515.

Praesens dicitur, quando dominus rei, et possessor morantur inter Provinciam seu Regnum; absens vero contra.

At ex Codice vigente dicitur praesens, quando dominus verus moratur in eodem territorio Magnae Curiae civilis, italice *Gran-Corte Civile*, in quo extat immobile. Si vero moratur extra dictum territorium, dicitur absens. Art. 2171. 2172. Deinde ex eodem Codice uniuntur tempora plurium possessorum in computatione spatii temporis requisiti ad praescriptionem, quomodocumque secundus possessor priori succedit. Art. 2141.

169. *Ad praescribenda bona Ecclesiae quantum temporis requiratur?*

Ad praescribenda bona Ecclesiae requiritur spatium quadraginta annorum. Ad bona Ecclesiae Romanae centum annorum. Ad bona Benedictinorum, et gaudentium privilegiis ejusdem Ordinis, sexaginta annorum (1).

170. *Quotuplici modo interrumpi possit praescriptio?*

Duplici modo: naturaliter, et civiliter. Primo modo per malam fidem supervenientem, et per amissionem possessionis. Secundo modo per litis contestationem. At si actor litem deserat, vel in ea succumbat, non censetur interrupta praescriptio.

171. *Differtne interruptio a dormitione praescriptionis?*

Maxime. Nam per interruptionem tempus prae-

---

(1) At ex codice vigente additur praescriptio sex mensium, anni, biennii, et quinquennii in art. 2177. et seq. Pro quinquennalibus non defertur juramentum. art. 2181. pro aliis defertur. art. 2183. Praescriptio antiqua centenaria, et quadragenaria in rebus civitatis, et Eccl. non memoratur. Contra tutorem quaecumque minoris actio relate ad tutelam praescribitur per decennium ab acquisita majore aetate. art. 398, et actio ad alium contractum rescindendum. art. 1258. Inter bona immobilia computantur instrumenta rustica, animalia ad fundi culturam; columbae in columbario, apum alvearia. art. 447. et seq.

teritum non amplius computatur, cessante impedimento; per dormitionem vero, computatur.

172. *Quotuplici ex causa dicitur praescriptio dormire?*

Multiplici ex causa: causa belli, pestis, si Ecclesia rectore careat, aut Episcopo; quando quis est impeditus ad prosequendum jus suum.

At ex Codice vigente etiam suspenditur praescriptio, seu dormit contra minores, et interdictos quoad immobilia. art. 2158; inter conjuges relate ad obligationes conditionatas.

TRACTATUS
DE CONTRACTIBUS.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Q. 1. *Quid est contractus ?*

Est duorum, vel plurium in idem placitum consensus (1).

2. *Quotuplex est contractus ?*

Multiplex est : alius est formalis, seu expressus, alius virtualis, seu implicitus. Primus est ille, quo duo vel plures expresse conveniunt de aliqua re cum obligatione mutua, vel saltem unius erga alterum ; secundus, qui etiam quasi-contractus dicitur, est ille, quo tacite suscipitur obligatio justitiae ex aliquo facto licito, absque ulla expressa pactione : puta aditione haereditatis. Item alius est nominatus, alius innominatus : primus est ille, qui habet proprium nomen in jure, uti emptio, venditio etc. ; secundus est, qui non habet proprium nomen ; cujus species sunt : *do*, *ut des* ; *do*, *ut facias* ; *facio*, *ut facias*; *facio*, *ut des.* Deinde alius est gratuitus, alius onerosus : primus est, in quo habetur obligatio ex una

(1) Contractus accipi potest stricte, vel late. Contractus stricte sumptus, qui etiam dicitur proprius, et perfectus, est obligatio ultro, citroque, idest obligans utramque partem. Late vero sumptus, est conventio duorum obligationem pariens in alterutro. Pactum est conventio, quae caret omni exteriori firmamento, nempe obligat tantum in conscientia, non vero in foro externo. Differentia inter pactum, et contractum non habetur in Codice vigente : uti patet ex art. 1055. et seq.

parte, uti promissio etc.; secundus, in quo habetur obligatio ex utraque parte, uti locatio etc. Praeterea alius nudus, alius vestitus: nudus est, qui omni firmamento exteriori caret, et consistit in meris finibus conventionis, uti est contractus innominatus, antequam ex altera parte impletur. Vestitus, qui civili jure confirmatur, et civilem actionem parit (1). Item alius est stricti juris, alius bonae fidei: primus est ille, in quo judex non potest arbitrari, sed debet stare verbis contrahentium (2); secundus est ille, in quo judex habet facultatem arbitrandi, quod aequum est, et justum; quamvis non sit expressum verbis contrahentium (3). Insuper alius est non purus, qui fit cum aliqua qualitate; alius purus, qui sine aliqua qualitate fit. Denique contractus in alternativum, et simplicem dividitur: alternativus admittit disjunctionem vel rei, vel personae, vel utriusque (4); simplex, qui non admittit hujusmodi disjunctionem.

3. *Quomodo perficitur contractus?*

Perficitur semper consensu; interdum etiam consensu, et verbis; consensu, et scriptura; consensu, et traditione. Qui perficiuntur solo consensu, dicuntur consensuales; qui verbis, et consensu, verbales dicuntur; sic qui perficiuntur consensu et scriptura, qui vel ex juris dispositione, vel contrahentium voluntate scripturam requirunt, dicuntur scripturales. Qui consensu, et traditione perficiuntur, reales dicuntur.

---

(1) Uti est contractus firmatus stipulatione, juramento, acceptilatione, specificatione nominis, traditione, adhaesione alteri contractui vestito, et privilegio juris. Haec species contractus non memoratur a Codice vigente. Ex eodem Codice omnes contractus, etiam innominati subjiciuntur iisdem regulis. art. 1061.

(2) Uti est contractus innominatus, mutuum, census etc.

(3) Ut in emptione, venditione etc.

Ex Codice vigente in Regno Neapolitano omnes conventiones implendae sunt in bona fide, art. 1088. 1089.

(4) E. g. do tibi, vel Cajo; do vestem, vel thecam. Ex Codice vig. in art. 1142. habetur hic contractus alternativus.

4. *In quibus contractibus datur locus poenitentiae?*

In contractibus innominatis, quando ex altera parte contractus nondum est impletus. In contractibus nominatis regulariter loquendo non datur locus poenitentiae. Dixi regulariter loquendo: quia ex jure civili tantum datur aute traditionem in illis contractibus, qui traditione perficiuntur.

At ex Codice vigente peracto contractu non datur locus poenitentiae. art. 1088.

5. *Quaenam conditiones requirantur ad valorem contractus?*

Mutuus consensus, habilitas contrahentium, capacitas rei, et forma substantialis, si sit a jure praescripta.

6. *Qualis consensus requiratur ad contractum?*

Internus seu verus, omnino liber, plene deliberatus, mutuus, et aliquo signo externo manifestatus.

7. *Quid, et quotuplex est error?*

Error est acceptio unius rei pro alia. Et duplex est: circa substantiam, et circa qualitatem. Primus est, quando quis credit contrahere de una re, et contrahit de alia; secundus est, quando quis credit contrahere de re affecta talibus accidentibus seu qualitatibus, et contrahit de re destituta his qualitatibus. Deinde error vel est antecedens, seu dans causam contractui, vel concomitans, seu incidens in contractum. Primus est ille, quo cognito, contractus non fuisset celebratus; secundus est ille, quo cognito, contractus etiam fuisset celebratus, sed non tam de facili, vel non tali pretio.

8. *Quid est dolus?*

Dolus generaliter sumptus est machinatio ad alterum decipiendum adhibita, scilicet aliud agitur, aliud simulatur (1).

---

(1) Dolus potest esse bonus, vel malus. Dolus bonus est adhibitus ad inveniendum derepente id, quod congruit; dolus malus est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum. Calliditas exigit, ut taciturnitate alter decipiatur; fallacia ut mendaciis, et ma-

9. *Quid est casus fortuitus?*

Est aliquis eventus, qui aut praevideri, aut praecaveri non potest (1).

10. *Valetne contractus per dolum vel per errorem celebratus?*

Vel dolus, aut error sive antecedens, sive concomitans, est circa substantiam, contractus non valet jure naturae; quia deficit consensus. Vel est circa qualitatem, valet contractus; quia habetur consensus substantialis: dummodo qualitas non apponatur uti conditio *sine qua non* (2).

11. *Contractus initus per errorem, vel per dolum circa qualitatem potestne infirmari, seu rescindi?*

Si error, vel dolus est concomitans, non potest infirmari. Si est antecedens, potest infirmari concurrentibus sequentibus conditionibus: scilicet ut error, vel dolus procedat ab altero contrahente cum injuria (3); ut deceptus velit contractum infirmare; et ut contractus sit rescindibilis.

12. *Quid si error, vel dolus sit circa naturam contractus?*

Contractus est nullus; quia deficit consensus. Hinc si quis intendat vendere, et alter putat sibi rem donari, contractus non valet.

13. *Quid si error sit circa personam, cum qua contrahitur?*

Si persona est objectum substantiale contractus, uti in contractibus gratuitis errore proveniente ex parte dantis; aut in Matrimonio, et sponsalibus, non valet contractus; quia deficit consensus. Si est obje-

---

chinatio, ut artificio verborum decipiatur. Fraus tandem dicitur, si factis alter decipitur; dolus, quando verbis simul, et factis.

Error, et dolus potest procedere vel ab ipsis contrahentibus, vel a tertia persona.

(1) Contrahentes non tenentur de casu fortuito, nisi intercedente culpa, vel mora, vel pacto. Leg. 2. de deposito.

(2) Idem statuitur ex Codice vigente art. 1064. 1070.

(3) Ideo si error, vel dolus sit a tertia persona, vel a propria persuasione, non potest infirmari.

ctum accidentale, uti in contractibus onerosis, valet contractus (1).

14. *Quinam contractus sint nulli de jure naturae?*

Contractus celebrati per vim, aut per dolum, vel errorem circa substantiam; contractus celebrati a furiosis, ab amentibus, a non habentibus usum rationis.

15. *Contractus celebrati per metum gravem suntne validi?*

Utrum sint validi de jure naturae, quaestio. Sed rationabilius sunt validi (2). De jure positivo etiam sunt validi (3), aliquibus exceptis, qui continentur in hoc versiculo:

Tutor, judicium, dos, sacrum, copula, votum (4).
At isti contractus excepti sunt nulli concurrentibus sequentibus conditionibus: 1. ut metus sit revera gravis: 2. injuste incussus: 3. a causa libera: 4. ad extorquendum consensum.

16. *Quinam veniunt per verba* tutor, judicium, dos etc.?

Per verbum *tutor* venit auctoritas tutoris, vel curatoris, aut acceptatio talis officii per metum extorta. *Judicium*, absolutio a censuris, vel earum revocatio (5). *Dos*, promissio, et solutio dotis. *Sacrum*, promissio, et traditio rerum Ecclesiae. *Copula*, matrimonium; et a Theologis etiam sponsalia, quia sunt via ad matrimonium. *Votum*, votum solemne, et secundum Theologos etiam votum simplex.

---

(1) Ita etiam ex Codice vig. art. 1064.

(2) Ex Laymann lib. 3. tract. 4. p. 3. c. 6. n. 2., et ex communissima sententia apud D. Lig. lib. 3. n. 716.

(3) Ex L. ult. C. de iis, quae vi, metusque causa. Ex Codice vig. art. 1065, 1071 etiam sunt validi contractus celebrati per metum gravem, usquedum a judice irritentur. Ideoque idem statuitur, quod in L. ult. citata habetur, et ex cap. 2. Abbas tit. de iis, quae vi, metusque causa: *quae metu, et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.*

(4) Ex Glossa in cap. cit.

(5) Cap. 2. *Abbas*, citato.

17. *Possuntne rescindi contractus per metum celebrati?*

Contractus celebrati per metum gravem possunt rescindi in utroque foro; per metum levem tantum in foro conscientiae: dummodo sint rescindibiles (1).

De qualitatibus, quae contractui possunt apponi.

18. *Quaenam sint qualitates contractui additae?*

Sequentes: adjectio diei, conditio, modus, demonstratio, et causa.

19. *Quid est adjectio diei?*

Est tempus appositum contractui.

20. *Quonam tempore obliget contractus celebratus adjectione diei?*

Si dies est certa, obligat a principio; quia dies haec apponitur ad differendam obligationem (2). Si dies est incerta, obligat die adveniente; quia apponitur ad suspendendam obligationem, et habetur tamquam conditio.

21. *Dantur casus, in quibus dies est incerta, et contractus obligat a principio?*

Maxime: 1. quando dies incerta certo est futura; 2. quando dies est apposita in gratiam solius promissarii.

22. *Quid est conditio?*

Est ratio, qua omne id, quod agitur, in futurum eventum suspenditur. Exprimitur per particulas *si*, *nisi*, *sine qua etc.*

23. *Quotuplex est conditio?*

Multiplex: alia est impropria, alia propria. Pri-

---

(1) Debent semper concurrere conditiones supra expressae, idest requisitae ad nullitatem contractus a jure excepti. Ex Codice vig. art. 1258. contrahens, qui laesionem patitur, potest petere rescissionem integro decennio a die, qua vis cessavit. Exceptis casibus a lege ad minus tempus restrictis.

(2) Ex Codice vig. art. 1141. Si debitor prodigat suum patrimonium, vel imminuat cautiones creditoris, nequit uti beneficio adjectionis in diem.

ma est de praeterito, vel de praesenti, vel de futuro necessario ; secunda est de futuro contigenti. Deinde potest esse potestativa , et casualis : prima, quando pendet a voluntate contrahentium ; secunda , quando pendet ab eventu.

24. *Contractus celebratus sub conditione valetne , et quando ?*

Contractus celebratus sub conditione impropria valet a principio , si conditio sit vera. Sub conditione propria honesta , et possibili valet, verificata conditione. Si conditio est impossibilis , vel inhonesta , regulariter loquendo non valet contractus ; quia ad impossibilia , et turpia nulla datur obligatio. Dixi regulariter loquendo : quia in matrimonio , et in ultimis voluntatibus valet contractus a principio ; cum ista conditio rejiciatur a jure , et habeatur tamquam non apposita. Attamen si conditio hujusmodi opponatur tribus bonis substantialibus matrimonii , nempe bono prolis , vel fidei , vel Sacramenti ; aut apponatur serio , aut uti conditio *sine qua non* , tunc non valet contractus ; quia cessat praesumptio juris.

25. *Oriturne a principio aliqua obligatio ex contractu sub conditione propria inito , adimpletione conditionis adhuc pendente ?*

Maxime: oritur obligatio expectandi eventum conditionis , et non reddendi se impotentem.

26. *Requiriturne novus consensus conditione adimpleta ?*

Minime ; quia consensus retrotrahitur ad tempus initi contractus.

27. *Quid est modus ?*

Est clausula , qua onus imponitur contrahenti , sed non suspenditur dispositio. Exprimitur per verba *ut* , *ad* , *ne* , *pro*.

28. *Quandonam valet contractus sub modo celebratus?*

Valet a principio , etsi modus sit impossibilis , vel turpis (1) ; quia non suspenditur consensus: dum-

(1) Quia rejicitur a jure , et habetur tamquam non appositus.

modo modus substantiae contractus non repugnet.

29. *Potestne revocari contractus, seu dispositio, sub modo celebratus, si modus possibilis et honestus non impleatur?*

Non potest; dummodo modus non sit appositus uti causa finalis, vel uti conditio *sine qua non*. At si donatio, vel legatum sit factum Ecclesiae, aut ad causas pias, nunquam potest revocari, nisi deducatur in pactum: scilicet, posse revocari legatum, donationem etc., modo non adimpleto (1).

30. *Quid si modus non adimpleatur defectu Praelati, quando in pactum deductum est, donationem, aut legatum factum Ecclesiae esse revocandum modo non adimpleto?*

Non potest revocari; quia Praelatus potest nocere Ecclesiae in jure acquirendo, non in jure acquisito.

31. *Quid est demonstratio?*

Est appositio signi ad ostendendam rem, vel personam, de qua, vel cum qua contrahitur; et explicatur per verba *qui*, *quae*, *quod*.

32. *Quotuplex esse possit demonstratio?*

Duplex est: ostensiva, et taxativa. Prima habetur, quando designatio incipit a re, et desinit in mensuram; secunda, quando incipit a mensura, et desinit in rem (2).

33. *Contractus celebratus sub falsa demonstratione estne validus?*

In contractu oneroso si falsa est demonstratio circa substantiam rei, est nullus contractus; quia deficit consensus (3). In contractu gratuito si error est substantialis, vel circa personam, proveniens error ex parte dantis, etiam est nullus (4); si error proveniat ex parte recipientis, est validus.

---

(1) Quia hujusmodi donatio, et legatum praesumitur principaliter factum esse Deo.

(2) Seu ostensiva est, quae rem demonstrat; taxativa, quae quantitatem rei demonstrat.

(3) Ita ex. gr., si quis demonstrat aliquid, quod vendit, esse aurum, et reapse est aurichalcum.

(4) Hinc irritus est contractus, si quis dicat: *dono tibi*

34. *Cuinam cedat excessus, vel defectus, si demonstratio sit falsa circa quantitatem, numerum, aut mensuram?*

Si falsa demonstratio est ostensiva, utrumque cedit recipienti; si est taxativa, utrumque cedit tradenti (1).

35. *Quid est causa?*

Est expressa ratio, ob quam contrahitur; et exprimitur per verba, *quia*, *propter*, *quoniam*.

36. *Quotuplex est causa?*

Duplex est: motiva seu finalis, et impulsiva. Prima est illa, quae movet disponentem, ita ut sine ea non disponeret; secunda est illa, sine qua etiam disponeret, sed non tam de facili.

37. *Valetne contractus celebratus sub causa non subsistente?*

Si causa est finalis, non valet; si est impulsiva, valet. Si dubitetur, an sit finalis, vel impulsiva, praesumitur impulsiva.

38. *Debeturne legatum alicui sub conditione, si nubat cum aliqua determinata persona, quando cum ea non nubit?*

Minime.

---

hanc thecam, *quae est argentea*: quae tamen est aurea; vel *dono tibi*; *qui es Franciscus*: qui tamen non est Franciscus. Quod si aliunde constet de re, vel de persona, falsitas non nocet validitati contractus.

(1) Hoc certum est de Legatis. Ex Cod. vig. art. 1463., et seq. in venditione immobilium cum demonstratione extensionis, pretio statuto prounaquaque mensura si reperiatur defectus quantitatis, venditor tenetur diminuere pretium, prout est defectus. Si vero adsit excessus, emptor potest contractum rescindere, aut debet supplere pretium, quando excessus est ultra vigesimam partem indicatae quantitatis. In omnibus aliis casibus, sive demonstratio sit ostensiva, sive taxativa, venditor tenetur ad defectum, et emptor ad excessum; quando defectus, vel excessus est ultra vigesimam partem. At potest emptor rescindere contractum in casu supradicti excessus. Quod si aliter statutum sit in contractu, contractui standum est.

39. *Danturne casus, in quibus hujusmodi legatum debetur?*

Maxime: 1. si determinata persona moriatur; 2. si ista vel parentes nolint contrahere; 3. tandem quando matrimonium fit illicitum, vel impossibile.

40. *Legatum relictum mulieri, ne nubat, debetur ei, si nubat?*

Si est virgo, debetur; quia haec conditio rejicitur a jure in favorem nuptiarum. Si est vidua, non debetur.

41. *Datur casus, in quo legatum virgini relictum ne nubat, ipsi non debetur, quia nupsit?*

Maxime: quando scilicet, si nupserit virgo, deberet applicari ad causas pias; tunc enim conditio est apposita in favorem religionis, quae debet praevalere dispositionibus civilibus (1).

42. *Debeturne mulieri legatum, ne nubat, si fornicetur?*

Maxime; quia fornicatio non est matrimonium.

43. *Legatum relictum mulieri, ut honeste, et caste vivat, debeturne, si matrimonium contrahat?*

Maxime; quia in matrimonio caste, et honeste vivitur.

44. *Legatum relictum puellis ad matrimonium contrahendum, debeturne, si aliqua ex eis religionem ingrediatur?*

Si est relictum determinatis puellis, debetur; si indeterminatis, litigium est inter DD.

De juramento contractui addito.

45. *Quodnam juramentum apponi possit contractibus?*
Promissorium.

46. *Quotuplex esse potest hujusmodi juramentum?*

Vel per se stans, vel confirmans contractum. Primum quando obligat tantum ex vi juramenti, seu ex virtute Religionis. Secundum, quando confirmat contractum validum; et obligat tam ex virtute ju-

(1) L. Titiae 24. de condit. et demonst.

stitiae, quam religionis. Primum non transit ad haeredes, et ex justa causa potest relaxari; secundum transit ad haeredes, et non potest relaxari, nisi ex urgentissima causa.

47. *An firmetur juramento contractus nullus?*

Contractus nullus de jure naturae, vel de jure positivo ob bonum commune, aut ob bonum tertiae personae non firmatur; quia non potest adimpleri sine peccato. Contractus nullus ob bonum privatum ipsius jurantis, firmatur juramento; quia unusquisque potest cedere juri suo.

48. *Estne servandum juramentum per se stans?*

Maxime: si licite possit sine dispendio salutis spiritualis, et praejudicio tertii: ne videatur Deus adductus in testem mendacii.

49. *Estne obligatorium juramentum solvendi usuras?*

Maxime: ex cap. *Debitores* de jurejurando; quia etsi non confirmet contractum, tamen adimplendum est ex virtute Religionis.

50. *An usurarius possit retinere usuras ex vi juramenti acceptas?*

Minime; quinimo tenetur remittere obligationem (1).

51. *Dantur casus, in quibus juramentum de re licita est nullum?*

Maxime: et primus, quando jus irritat non solum contractum, sed etiam juramentum: uti in renuntiatione, vel dispositione jurata facta a Novitio ante duos menses proximos professioni, vel sine licentia Episcopi, aut Vicarii: ex Trid. sess. 25. cap. 16. de Regularibus. Secundus, quando promissio jurata non est acceptata, et ante acceptationem revocatur; quia juramentum sequitur naturam principalis, seu promissionis; et semper adest imbibita conditio *juramentum servari, si acceptetur promissio.*

---

(1) Si mutuatarius juraverit non repetere usuras, vel non petere relaxationem juramenti, potest Episcopus sponte ei relaxare juramentum; aut jurans potest Episcopo exponere causam, et Episcopus tunc sine petitione relaxat.

52. *Quomodo possit quis se eximere ab obligatione juramenti per se stantis?*

Petendo relaxationem ab Episcopo; cogendo creditorem per legitimum judicem ad remittendam obligationem juramenti; momentaliter solvendo, et inde repetendo solutum.

De habilitate contrahentium.

53. *Quinam possunt contrahere?*

Qui habent usum rationis, liberam et absolutam administrationem bonorum, et non sunt à jure impediti. Hinc amentes, infantes; maritus, et uxor de bonis dotalibus; tutor, curator etc. non possunt contrahere.

54. *Quinam dicitur filiusfamilias?*

Ille, qui sistit sub jurisdictione patris, seu patria potestate: unde filii, et filiae, et qui nascitur ex filio sub patre manente, dicitur filiusfamilias.

55. *Quid est patria potestas?*

Est jus secundum quod filii, et filiae legitimae, aliique descendentes per lineam masculinam quoad certos effectus subjiciuntur patri, vel avo paterno. At ex cod. vig. art. 288. et seq. patria potestas est jus, quod pater, et mater habet in filios legitimos, et ligitimatos per subsequens matrimonium, atque adoptivos. Haec potestas a solo patre exercetur durante matrimonio.

56. *Quinam sunt effectus patriae potestatis?*

Praecipui sunt isti: 1. pater est administrator bonorum filiorum; 2. habet usufructum bonorum filiorum usquedum non pervenerint ad majorem aetatem, vel emancipationem; 3. potest filios moderate punire, etiam carcere.

Ex Codice vig. art. 291 pater est administrator bonorum filiorum minorum; habet usufructum bonorum filiorum usquedum non pervenerint ad annos 18. completos, vel ad emancipationem: si haec emancipatio fuerit ante annos 18. completos art. 298 (1):

---

(1) Ex art. 299. onera usufructus sunt adimplenda a patre; a matre vero pro medietate.

potest filios moderate punire carcere art. 302. 303. Mater patre mortuo habet medietatem hujusmodi usufructus usque ad majorem aetatem filiorum, vel ad emancipationem: dummodo ista alias nuptias non contraxerit, art. 300. Quando parentes non habent usufructum de bonis filiorum vide in nota ad n. 58. seq.

57. *Quomodo solvitur patria potestas?*

Multiplici modo: 1. per mortem naturalem patris; 2. per mortem civilem patris, uti si damnatur in perpetuum carcerem; 3. per lapsum in haeresim; 4. per emancipationem filii coram judice factam; per electionem filii ad patriciam, vel consularem dignitatem. At non intelligitur solvi reverentia patri debita: quae semper durat.

Ex Codic. vig. solvitur patria potestas: 1. quando filius expleverit annum 25. art. 288.; 2. quando fuerit emancipatus (hoc fieri nequit ante aetatem 15. annorum: et parentibus mortuis, nequit fieri ante annos 18. aetatis art. 400.) 3. quando filius contraxit matrimonium. 4. quando filius vivit domo, et familia separatus a patre art. 288.

58. *Num filiusfamilias possit contractus valide inire?*

Ex Jure Romano si filiusfamilias est impubes de omnibus bonis sine consensu patris, et judicis auctoritate contrahere non potest. Si est proximus pubertati, contrahendo de bonis castrensibus, vel quasi, juxta aliquos remanet naturaliter obligatus (1). Si est pubes potest valide contrahere de bonis castrensibus, vel quasi: de aliis vero bonis, distinguendum est: si sunt mobilia non pretiosa, cum consensu patris valide potest contrahere, sine consensu patris naturaliter remanet obligatus; si sunt immobilia, vel mobilia pretiosa, scilicet quae ultra triennium servando servari possunt, cum consensu patris, et judicis au-

(1) Effectus obligationis naturalis est 1. ut creditor possit accipere, et retinere, si nulla exceptione solvatur, id, quod ei naturaliter debetur; 2. ut possit fidejussionem, ac pignus exigere; 3. ut debitor non possit repetere jam solutum; 4. denique ut creditor habeat jus se compensandi.

ctoritate valide contrahere potest; secus, nulliter in utroque foro (1).

---

(1) Dicitur impubes, si est mas, qui nondum compleverit aetatem quatuordecim annorum, si est foemina, quae nondum expleverit aetatem duodecim annorum; et postea dicitur pubes. Mas a septennio usque ad decennium cum dimidio dicitur proximus infantiae; foemina vero a septennio usque ad novennium cum dimidio. Proximus pubertati dicitur, si est mas, a decennio cum dimidio usque ad annum 14; si est foemina a novennio cum dimidio usque ad annum 12. Praeterea secundum jus Romanum bona filiorumfamilias quadruplicis generis sunt: scilicet castrensia, quasi-castrensia, profectitia, et adventitia. Prima, quae in militia, vel intuitu militiae acquiruntur; secunda, quae proveniunt ex militia togata seu ex arte liberali: ad quae pertinet peculium clericale; tertia, quae veniunt ex re, vel substantia, vel intuitu patris; postrema, quae adveniunt filio quocumque alio titulo. Denique sciendum: quod de bonis profectitiis filius habet tantum administrationem, de adventitiis tantum proprietatem; de castrensibus, vel quasi-castrensibus plenum jus habet, si est pubes; secus, tantum proprietatem

Ex Codice vig. nulla distinctio inter ista bona admittitur, neque diversitas aetatis: filius usque ad annum 21 dicitur minor, et postea major; etiam post mortem patris. Filiusfamilias, si est minor, non potest contrahere. Potest tantum contrahere de bonis mobilibus eum consensu patris; de bonis immobilibus requiritur etiam confirmatio, seu approbatio Tribunalis Civilis art. 291. 292. Si filius est major, non potest ante aetatatem 25 anuorum sine consensu patris alienare, vel hypothecae subjicere, vel donare immobilia propria industria non acquisita; nec exigere sortes ex propria industria non acquisitas, neque debitores liberare ab obligatione, nec in mutuum accipere art. 295. Potest autem filius in aetate sexdecim annorum testari dimidiam partem bonorum, quam lex majori permittit disponere art. 819. 820. Insuper ea bona, quae filius propria industria comparavit; item quae ei legata, vel donata fuerunt ea conditione, ut pater usufructum non habeat, tam proprietas quam usufructus penes filium est. art. 301. Denique ea bona, quae donatione, legato etc. comparavit, proprietas ad filium, usufructus ad patrem spectat usque ad annum decimum octavum filii expletum, vel usque ad emancipationem art. 298. Potest donare sponsae, vel sponso in contractu matrimonii ex consensu eorum, quorum consensus ad matrimonium requiritur art. 1049.

59. *Ad quem spectant ea, quae filiusfamilias in domo patris lucratur?*

Si lucrum proveniat ex operibus artificialibus, uti si filius sit sartorius etc. numeratur inter bona adventitia. Si vero lucrum proveniat ex bonis paternis, nomine, ac voluntate patris, uti in mercatura, litigium inter DD. Alii affirmant totum lucrum esse patris; alii dicunt, computandum esse partim inter bona adventitia, partim inter profectitia. Ex Codice vig. art. 301. totum lucrum spectat ad filium, si propria industria comparaverit, vel ex legato aut donatione acquisierit ea conditione, ne pater habeat usufructum.

60. *Pupillus potestne valide contrahere?*

De jure Romano si sunt bona mobilia non pretiosa, cum consensu tutoris valide contrahit: secus, utrum naturaliter obligetur, quaestio inter DD. Si sunt immobilia, vel mobilia pretiosa, cum consensu tutoris, et auctoritate judicis valide contrahit; secus, nulliter in utroque foro (1).

61. *Dantur casus, in quibus pupillus contrahit sine consensu tutoris, et auctoritate judicis de his, in quibus ex jure requiritur, et tamen remanet obligatus in utroque foro?*

Dantur: et 1. quando ex contractu pupillus factus est locupletior; 2. quando res fuit tradita pupillo proximo pubertati, et dolo ejus periit: hoc in casu datur actio civilis contra pupillum, qua solvere compellitur.

62. *Minor potestne valide contrahere?*

Ex jure Romano si contrahit de bonis mobilibus non pretiosis, cum consensu curatoris valide contrahit in utroque foro; sine consensu curatoris, quando eum habet, naturaliter remanet obligatus; non habens curatorem, in utroque foro valide contrahit. Si con-

(1) Pupillus dicitur ille, qui est impubes, et exiit a patria potestate. Tutor est ille, qui primario datur pupillo loco patris ob curam personae, secundario ob custodiam bonorum. Haec secundum jus Romanum.

trabit de bonis immobilibus, vel mobilibus pretiosis, cum consensu curatoris, et judicis auctoritate valide contrabit in utroque foro; secus, nulliter (1).

---

(1) Ex jure Romano minor dicitur ille, qui est pubes, et exiit a patria potestate usquedum perveniat ad majorem aetatem. Curator datur minori primario ob curam bonorum, nec datur minore invito.

Ex Codice vig. Minor est ille, qui nondum pervenit ad aetatem vigesimi primi anni, vel non est emancipatus. Hic ant est sub patria potestate, aut per mortem patris exiit, et sub tutore sistit. Ideo nulla distinctio pupilli et minoris. Minor sine consensu tutoris non potest contrahere art. 373; quinimo requiritur etiam consensus Consiliifamilias, ac judicis auctoritas in sequentibus contractibus: nempe in alienatione immobilium, vel in obligatione hypothecae, in alienatione mobilium a Consiliofamilias exceptorum, in acceptione, aut repudio haereditatis, in contractu mutui pecuniae. art. 375. 380. 381. et seq. Insuper in institutione litis, in petitione divisionis, in agenda transactione. At vero potest minor testari, seu facere testamentum, sine consensu tutoris art. 819. 820. prout dictum est de filiisfamilias: potest donare occasione matrimonii. Praeterea minores emancipati expleto anno 18, qui exercent publicam mercaturam secundum statuta Codicis Commercii art. 7., possunt quocumque modo se obligare ad ea, quae pertinent ad commercium, prout essent majores.

Mulieres innuptae majores possunt contrahere de illis bonis, quorum jus et liberam administrationem habent art. 411. Mulieres minores subsunt iisdem legibus pro minoribus supra recensitis. Mulieres conjugatae non possunt contrahere, neque in judicio stare sine viri auctoritate art. 1078. 204. 1389. 206. Possunt contrahere de iis, quae pertinent ad publicam mercaturam ab ipsis exercitam consensu viri art. 209; acceptare donationem filio minori factam; art. 859. donare filio bona sua libera; art. 206. testamentum conficere: art. 215. At quando vir suae uxori non vult concedere, ut judicio sistat, vel contrahat: aut vir est impeditus, puta interdictus, potest uxor adire judicem, et petere facultatem art. 208. 211. Uxor potest administrare bona parapharnalia, et bona communioni conventae non subjecta art. 1389. Uxor tandem de bonis dotalibus habet solam proprietatem; de parapharnalibus, et communioni non subjectis plenum dominium; art. cit.

63. *Dantur casus, in quibus minor contrahit sine consensu curatoris, quando illum habet, et remanet in utroque foro obligatus?*

Maxime: 1. quando sit religionem ingressurus: quia censetur mori; 2. quando juramento firmavit contractum.

64. *Datur casus, in quo minor contrahit absque auctoritate curatoris, et judicis, et remanet naturaliter, et civiliter obligatus?*

Maxime: quando iste contrahit in suum commodum: quia jura hoc statuerunt in favorem istius, ne damnum illi eveniret.

De restitutione in integrum.

65. *Quid est restitutio in integrum?*

Est prioris status reintegratio: scilicet quoddam remedium juris extraordinarium, quod datur in contractibus validis, sed rescindibilibus.

66. *Quaenam conditiones requirantur ad petendam restitutionem in integrum?*

Sequentes: 1. ut quis patiatur damnum ex contractu non satis prudenter celebrato; 2. ut laesio sit notabilis; 3. ut laesio veniat ex contractu, vel quasi-contractu.

67. *Quinam gaudeant hoc privilegio?*

Pupilli, Minores, Ecclesia: cujus nomine veniunt omnia loca pia, et res publica.

68. *Quantum temporis spatium conceditur istis, ut possint petere restitutionem in integrum?*

Quatriennium; et quoad minores incipit a die majoris aetatis; quoad Ecclesiam vero a die, qua contractus fuit celebratus, vel a die, qua cognoscitur damnum.

Ex codice vigente Minores non emancipati gaudent hoc privilegio in omnibus contractibus, etiamsi laesio sit simplex; emancipati autem in illis contractibus, qui excedunt ipsorum capacitatem art. 1259. Majores eodem privilegio gaudent in divisione haereditatis, si laesio excedat quartam partem: art. 807.

in venditione rei immobilis, si fuerit venditor laesus ultra dimidium justi pretii art. 1520. Interdicti, mulieres uxoratae gaudent aeque, ac minores emancipati art. 1258. Minoribus ad petendum hoc privilegium conceditur decennium ab acquisita majori aetate. Idem conceditur mulieribus uxoratis a die solutionis matrimonii, et interdictis a die cessationis interdictionis cit. art. 1258. Venditori conceditur biennium a die venditionis art. 1522.

69. *Danturne casus, in quibus minor non gaudet hoc privilegio?*

Maxime: et 1. quando minor impetravit veniam aetatis; 2. quando factus major ratificavit contractum; 3. quando juramento firmavit.

Ex Codice non gaudent hoc privilegio minores: 1. si laesio evenerit ex casu fortuito; 2. in obligationibus, quae proveniunt ex delicto, vel quasi-delicto; 3. in conventionibus initis in contractu matrimonii, si factae sint consensu eorum, quorum interventum jus requirit ad matrimonium; 4. uti publici mercatores, vel artifices in contractibus, qui pertinent ad ejusmodi officium; 5. denique si quis factus major contractum ratum habeat; etiamsi contractus fuerit nullus in sua forma art. 1260. et seq.

70. *Quotuplici modo potest fieri restitutio in integrum?*

Duplici modo: scilicet aut contractum rescindendo; aut pretium augendo, in quo quis est laesus.

71. *Num contractus sine solemnitatibus initi valeant in utroque foro?*

Si fuerunt celebrati sine solemnitatibus substantialibus, non valent; si sine accidentalibus, tunc valent.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

De Venditione, et Emptione.

72. *Quid est venditio, quid emptio?*

Venditio est pactio mercis determinatae dandae pro pretio determinato. Emptio est pactio pretii determinati dandi pro merce determinata.

73. *Quid est contractus emptionis, et venditionis?*
Est ille, quo quis paciscitur de pretio determinato pro merce determinata; aut de merce determinata pro pretio determinato, et consensu ejusdem pactum completur.

74. *Quid venit nomine mercis, quid nomine pretii?*
Nomine mercis veniunt omnes res mobiles, et immobiles, actiones, et jura, quae pecunia existimari, et compensari possunt. Nomine vero pretii venit numisma, quod est pretium omnium rerum.

75. *Contractus emptionis, et venditionis differtne a permutatione, et cambio?*
Maxime: quia in venditione, et emptione datur res pro pecunia; in permutatione datur res pro re; in cambio pecunia pro pecunia.

76. *Quaenam conditiones requirantur ad contractum emptionis, et venditionis?*
Sequentes: merx determinata, pretium determinatum, et mutuus consensus.

77. *Quotuplici modo merx possit determinari?*
Duplici modo: vel in specie, quando scilicet res actu existit; vel in spe, quando spes habetur rem posse existere: cujusmodi est emptio, vel venditio jactus retis.

78. *Num valida sit venditio, si pretii determinatio remittatur emptori?*
Minime; quia non habetur pretium determinatum; et emptor potest hallucinari in causa propria. Si vero remittatur tertiae personae, valet; quia cessat periculum hallucinationis (1).

79. *Quid si res vendatur cum hac expressione: vendo tibi rem pretio justo?*
Si pretium est taxatum de tali re, valida est venditio; quia adest pretii determinatio; aliter, est nulla.

80. *An ante traditionem rei dominium acquiratur?*
Minime; quia per traditionem, et usucapionem dominia rerum transferuntur, non nudis pactis. Si vero venditor tradat rem, et fidem habeat de pretio, transfertur dominium.

---

(1) Idem ex Codice vig. art. 1436. 1437.

Ex Codice vig. non requiritur traditio ad transferendum dominium in hujusmodi contractu, sed tantummodo determinatio mercis, et pretii, art. 1428. At vero si merces non vendantur in massa, sed in pondere, numero, mensura, venditio haec non est perfecta, donec accesserit ponderatio, numeratio, mensuratio, art. 1430. Ideoque non transfertur dominium ante ponderationem etc. In mercibus similiter, quae ex usu degustantur, venditio non habetur, nisi prius degustatio accesserit, art. 1432. (1).

81. *Cuinam debetur res diverso tempore duobus vendita, et neutri tradita?*

Debetur priori emptori. Si vero uni est tradita, illi debetur (2).

Ex Codice vig. art. 2081. debetur priori emptori, etiamsi sit res tradita secundo emptori. At si res mobilis sit tradita secundo emptori, et iste bona fide possideat, huic debetur, art. 1095.

82. *Quotuplici modo possit res vendi?*

Duplici modo: in specie, seu in individuo, et in genere. Dicitur in specie, quando merx individuatur: uti vendo tibi hunc equum, has oves; in genere, quando genus tantum individuatur, non vero res determinatur: uti vendo tibi decem oves de meo grege.

83. *Quotuplici modo res in specie determinata vendi possit?*

Duplici modo: quoad corpus, vel quoad mensuram. Quoad corpus, quando venditur aliquid totum unico pretio: uti vendo tibi hoc dolium vini decem argenteis. Quoad mensuram, quando pro unaquaque mensura pretium assignatur: uti vendo tibi dolium vini decem carolenis pro unoquoque cado.

---

(1) Venditio cum pacto degustationis censetur facta sub conditione suspensiva. art. 1433.

(2) Potest prior emptor vindicare rem a secundo emptore, rei possessore, si iste processerit in mala fide; vel acceperit rem titulo gratuito. In allatis casibus secundus emptor, seu rei possessor, non tenetur restituere, si non petatur a priori.

84. *Cuinam pereat res vendita, si casu fortuito pereat?*

Cum distinctione. Si res fuit tradita, et pretium solutum, vel habitum pro soluto, perit emptori (1). Vel res non fuit tradita, et videndum: vel res fuit vendita in genere, aut in specie quoad mensuram (2), perit venditori (3); vel fuit vendita in specie quoad corpus, perit emptori (4); nisi intercesserit culpa, mora, vel pactum.

Ex Codice vig. periculum rei venditae ante traditionem pertinet ad emptorem, nisi culpa adsit venditoris, art. 1092. At si in pondere, mensura, numero vendatur merx, vel ex usu debeant prius res degustari, uti dictum est in n. 80., cum non adhuc translatum sit dominium in emptorem, periculum penes venditorem remanet, art. 1430. Quando res est vendita in genere, perit venditori, quia genus nunquam perit.

85. *Quid si res in genere, vel quoad mensuram vendita melioretur, cuinam melioratur?*

Emptori melioratur; quamvis enim periculum rei venditae in genere, vel quoad mensuram, spectet ad venditorem in substantia; tamen si res deterioretur, emptori deterioratur. Ergo si melioretur, emptori melioratur.

86. *Si res sub conditione vendita pereat, cuinam perit?*

Si ante eventum conditionis pereat, venditori perit; si post, emptori perit. Nam venditio tunc perficitur, quando impleta est conditio.

87. *Si res disjunctive vendita casu fortuito pereat, cuinam perit?*

Si una res pereat, venditori perit; si ambae

---

(1) Ex L. 14. *Quod si.*

(2) Nam venditio ista, quoad mensuram, non censetur absoluta et perfecta, sed quasi sub conditione hac: nempe si mensuratio, vel degustatio accesserit.

(3) Ex L. *Quod saepe.*

(4) Ex L. *Empti, et venditi.*

pereant, una venditori, et altera emptori: ex L. 34. D. de Contract. empt. (1).

88. *Cuinam debentur fructus rei venditae?*

Vel res fuit tradita, et pretium solutum, vel habitum pro soluto, debentur emptori; quia ipse est dominus. Vel pretium non fuit solutum, litigium inter DD. Excipiuntur tamen fructus pendentes, qui debentur emptori: quia sunt partes rei venditae.

Ex Codice vig. art. 1460. debentur emptori. Si vero emptor non solverit pretium, tenetur ad id, quod interest, art. 1498.

89. *Quae res vendi possint?*

Omnes res, quae sunt in commercio, seu pretio aestimabiles. Hinc non possunt vendi res sacrae, via publica, et alia destinata usui publico: item non possunt vendi immobilia, et mobilia pretiosa Ecclesiae sine licentia Romani Pontificis sub excommunicatione latae sententiae non reservata: quae quidem Ecclesiae bona nec etiam possunt permutari, hypotecae subjici, vel in pignus dari (2).

Ex Codice. Prohibetur vendi haereditas personae viventis; fructus pendentes, adhuc immaturi, si conveniatur de pondere, mensura et pretio, in actu determinato, non vero determinando secundum quod valebit tempore perceptionis horum fructuum. Pos-

---

(1) Ex Codice vig. art. 1145. 1146. si pereat una res, venditori perit; si ambae culpa venditoris, vel una ex istius culpa, et altera casu fortuito, tenetur venditor solvere pretium ultimae rei, quae perit. Si vero sine culpa, et culpabili mora ambae pereant, utrique pereunt. At si electio detur emptori, tunc aliter decernitur in art. 1147.

(2) Ex Extrav. *Ambitiosae* unica de rebus Eccles. non alienandis. Ex Can. *Terrulas* caus. 12. quaest. 2. Vide apud Ferraris v. Alienatio ar. IV. n. 3. A DD. excipiuntur res exiguae, et parum utiles, vel non pretiosae, quae non excedunt summam centum aureorum; et secundum alios summam quinquaginta aureorum. In cujusmodi alienatione potest Ordinarius loci, seu Episcopus dispensare. Vide D. Lig. lib. 4. post n. 187. nota VI. In nostra Dioecesi ex consuetudine potest concedi ab Archiepiscopo; vel ejus Vicario facultas alienandi usque ad summam centum aureorum.

sunt tamen in solidum sine mensura, ac pondere omnes fundi fructus incerti, certo pretio vendi: art. 1445. 1446. (1).

90. *Num valeat venditio rei alienae?*

Valet tantum quoad transferendum dominium pecuniae in venditorem; quia emptor est pecuniae dominus; non vero quoad transferendum dominium rei in emptorem. Idem dicendum de eo, qui furtiva pecunia aliquid emit: quia est valida venditio quoad transferendum dominium rei, non quoad transferendum dominium pecuniae. Sic etiam pecunia redacta ex re furtiva non est furtiva.

Ex Codice. Est omnino nulla talis venditio art. 1444.

91. *An ille, cui bona fide rem propriam vendit, et recipit pecuniam furtivam, teneatur restituere illam pecuniam domino petenti?*

Si pecunia extat in specie, tenetur; si fuerit consumpta, vel cum propria commixta, ita ut discerni non possit, non tenetur ex Leg. *Ex ea pecunia* (2).

92. *Ad quid tenetur ille, qui aliquid a fure emptum bona fide eodem pretio revendidit alteri, in casu, quo dominus rei compareat demonstrando rem esse suam?*

Ad nihil tenetur; quia per venditionem rei alienae acquisivit dominium pretii, neque inde ditior factus. Si autem dominus a tertio possessore rem evincat, tunc tenetur restituere possessori pretium, ratione evictionis.

93. *Quid si quis rem furtivam titulo donationis acceptam bona fide alteri vendiderit, teneturne ad restitutionem pretii, si dominus rei compareat?*

Tenetur iste restituere rei pretium domino, si res

---

(1) Est nulla venditio, si tempore contractus erat deperdita res vendita. art. 1447.

(2) Ex Codic. vig. art. 1191. non potest repeti pecunia aliena soluta creditori, qui poterat exigere, et bona fide consumpsit; quamvis pecunia hujusmodi soluta fuerit ab eo, qui non habet dominium pecuniae, aut facultatem eam alienandi.

ab emptore recuperari non potest ; quia pretium illud acceptum succedit loco rei; cum factus sit ditior.

Ex Codice conceduntur primo emptori 30. anui ad vindicandam rem suam immobilem ; tres vero anni ad rem mobilem art. 2168. 2185.

94. *Quotuplici modo solvitur contractus emptionis, et venditionis?*

Multiplici modo : per pactum adjectionis in diem; per pactum legis commissoriae ; per pactum retrovenditionis ; per conditionem non adimpletam ; et tandem per mutuum consensum.

95. *Quando venditio dicitur facta per pactum adjectionis in diem, vel per pactum legis commissoriae?*

Dicitur venditio facta per pactum adjectionis in diem, quando venditur res eo pacto : ut, si intra certum temporis spatium offeratur pretium majus, res sit inempta. Dicitur facta per pactum legis commissoriae, quando venditur res eo pacto : ut, nisi solvatur pretium intra certum temporis spatium, res sit inempta (1).

96. *Quotuplici modo fieri possit venditio per pactum adjectionis in diem, vel legis commissoriae?*

Duplici modo : scilicet verbis directis, aut obliquis. Verbis directis, quando verba contrahentium expresse significant, contractum non adimpleta conditione esse nullum, perinde ac non esset factus. Verbis obliquis, quaudo verba indicant valere contractum a principio, sed postea rescindendum, si non adimpleatur apposita conditio (2).

(1) Per pactum adjectionis in diem dicitur venditio, si quis dicat ex gr. : *vendo tibi hanc domum hoc pacto, ut, si intra annum offeratur mihi pretium majus, domus sit inempta*, seu sit tamquam non vendita ; idest sit irritus contractus ex nunc pro tunc. Per pactum legis commissoriae, si quis dicat : *vendo tibi hanc domum hoc pacto, ut, si intra annum non solvas pretium, domus sit inempta.*

(2) Ita ex. gr. verbis obliquis dicitur facta venditio, si quis dicat : vendo tibi hanc domum hoc pacto, ut, si intra annum offeratur majus pretium ; vel non solvatur pretium, contractus rescindatur, idest sit irritus tunc pro nunc.

97. *Ad quem spectant fructus medii temporis, idest percepti a die celebrationis contractus usque ad dissolutionem, quando contractus fuit celebratus per hujusmodi pacta?*

Si fuit celebratus verbis directis, spectant ad venditorem; si verbis obliquis, spectant ad emptorem.

Ex Codice. Pactum legis commissoriae adjectum venditioni rei immobilis locum non habet, nisi emptor a venditore actu judiciali in mora constituatur. Secus vero in rebus mobilibus art. 1502. 1503.

98. *Ad quem spectant fructus rei sub conditione venditae?*

Si conditio sit casualis, adimpleta conditione, ad emptorem spectant; non adimpleta conditione, et sic soluto contractu, ad venditorem spectant. Si vero conditio sit potestativa, ad venditorem spectant: quia sic statuerunt jura ad sollicitandum emptorem, ut adimpleat conditionem (1).

99. *Estne licitus contractus venditionis cum pacto retrovenditionis?*

Maxime, habitis conditionibus, quae sunt sequentes: 1. ut non sit ad palliandam usuram; 2. ut pretium sit justum, habita ratione gravaminis, quod imponitur vel a venditore, vel ab emptore; 3. ut res eodem pretio redimatur, quo fuit vendita; nisi fuerit meliorata opera emptoris; 4. tandem ut emptor vere sit dominus rei emptae.

Ex Codice res vendita cum pacto retrovenditionis necessario debet redimi intra quinquennium: quo exacto non potest amplius redimi; et absoluta fit venditio, ac irrevocabilis; etiamsi aliter sit statutum inter contrahentes. Art. 1506. et seqq.

100. *Quid contractus mohatra?*

Hic contractus habetur, quando quis indigens pecunia se confert ad mercatorem petendo mutuum, et mercator ei offert merces eo pacto, ut eas a se emat pecunia credita pretio supremo, et sibi revendat pecunia numerata pretio infimo. Hic contractus est

---

(1) Ex Leg. 78. D. *Verbis obliquis.*

illicitus, quia usurarius; ideoque oppositum est damnatum ab Inn. XI. (1).

De Evictione.

101. *Quid est evictio?*

Est actio emptoris contra venditorem, et viceversa, ad servandum se indemnem.

102. *In quibus contractibus datur evictio?*

In contractibus onerosis. Nam aequum est, ne quis damnum patiatur ex eo, quod justo pretio accepit.

103. *An locum habeat in contractibus gratuitis?*

Regulariter loquendo non habet: sed tunc habet locum, quando sic convenitur; vel quando habetur culpa, seu dolus, ex parte donatoris damnificans donatarium.

104. *In quibus casibus venditor non tenetur de evictione?*

In sequentibus: 1. quando emptor non denuntiaverit venditori de lite mota, ut se defenderet; 2. quando emptor scienter emerit rem alienam a manu furis, et non fuerit specialiter conventum de evictione (2); 3. quando emptor venditore absente non appellaverit a sententia; 4. quando emptor voluntarie consenserit litem definiri per arbitros, et sententiam contrariam reportaverit; 5. quando emptor poterat usucapere, et non usuceperit.

---

(1) Prop. n. 40. *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevio inito, cum intentione lucri.*

Adverte, quod peccat, qui cogit alium ad vendendam rem propriam, etsi justo pretio; quia gravis injuria fit ei, qui habet jus sibi retinendi rem suam. At si res sit necessaria ad bonum commune, tunc potest cogi dominus ejus ad vendendum.

(2) Ex Codice vig. art. 1475. idem statuitur.

De pretio rerum.

105. *Quid est pretium?*

Est justa, et aequa mensura pecuniae pro merce.

106. *Quotuplex est pretium?*

Duplex est: legale seu legitimum, et vulgare seu naturale. Primum est illud, quod a publica auctoritate est taxatum; secundum est, quod statuitur a communi hominum aestimatione. Primum est indivisibile; secundum dividitur in supremum, medium, et infimum: supremum est illud, supra quod juste vendi non potest; infimum est illud, infra quod juste emi non potest; medium est illud, quod est inter supremum, et infimum.

107. *Quo pretio potest vendi, vel emi, quando pretium est vulgare?*

Potest vendi usque ad supremum, et emi usque ad infimum.

108. *Quotuplici ex capite potest augeri pretium vulgare?*

Multiplici ex capite: ex abundantia emptorum, vel pecuniae; ex carentia venditorum, vel mercis. At ex opposito potest diminui pretium.

109. *Qui res minutim vendit, potestne augere pretium?*

Maxime, juxta limites justitiae; quia facere debet majores expensas, et labores ad res conservandas, et vendendas.

110. *Num possit pretium augeri, si adsint alii tituli, puta lucrum cessans, damnum emergens, molestia venditori obventura etc.?*

Maxime; quia isti tituli sunt pretio existimabiles.

111. *Potestne res vendi pluris, quia est emptori utilis?*

Minime; quia venditor venderet, quod suum non est.

112. *Potestne venditor rem majori pretio vendere ob sui affectum ad illam?*

Maxime; dummodo affectus sit rationabilis.

113. *Potestne pretium augeri ob dilationem solutionis?*

Minime ; quia esset aperta usura , nisi alius titulus adsit.

114. *Res , quae sub hasta venditur , potestne vendi majori pretio ?*

Maxime ; dummodo desit fraus , et dolus : quia res, quae tali modo venditur, subjicitur pretio incerto , et periculo decrescendi.

115. *Necessitas particularis venditoris estne causa diminuendi pretium ?*

Minime. Si vero est necessitas communis , et tunc est causa diminuendi pretium.

116. *Potestne quis emere viliori pretio rem sibi non utilem ?*

Maxime : habita rationabili proportione ; quia merx ultronea vilescit (1).

117. *Potestne prètium diminui , eo quod ab eodem quis emit plura ?*

Maxime.

118. *Potestne quis currenti pretio vendere, si sciat brevi tempore pretium esse diminuturum ?*

Maxime : dummodo non adhibeatur fraus ; et haec scientia non habeatur ex publico munere.

119. *Si res pretium habeat legale, et vulgare simul, adestne obligatio servandi pretium legale ?*

Quaestio inter DD. Sed standum est consuetudini locorum.

120. *Si res sit variata , num adsit obligatio servandi pretium legale ?*

Si res fuerit notabiliter variata quoad valorem , non adest talis obligatio. Nam non praesumitur Principem velle servari pretium taxatum posita tali mutatione circa valorem mercis.

121. *Clerici tenenturne servare pretia legitima mercium ?*

Maxime ; quia sunt partes communitatis.

---

(1) Credita acerba , chirographa litigiosa , et dubia possunt minori pretio emi ; quia res cum tali periculo exigendi semper minoris valet ; et etiam ob expensas , et incommoda,

122. *Qui deceptus est in pretio justo habetne aliquam actionem contra deceptorem ?*

Vel fuit deceptus ultra dimidium justi pretii, habet actionem in utroque foro vel ad rescindendum contractum, vel ad supplendum defectum justi pretii. Vel fuit deceptus intra dimidium justi pretii, habet tantum actionem in foro conscientiae ; ne multiplicentur lites.

Ex Codice vig. tantum datur hoc beneficium venditori immobilium art. 1520. 1529. : etiamsi renuntiaverit, et declaraverit donare excessum. Licet vero emptori vel rem restituere cum suis fructibus a die petitae rescissionis, pretium solutum repetendo ; vel retinere rem, solvendo reliquum pretium, et damna venditori illata reparando art. 1527. 1528. At istud locum non habet in venditione immobilium, quae judicis decreto veneunt: art. 1530.

123. *Quid est vitium mercis ?*

Est quicumque defectus, qui tollit vel minuit consensum contrahentium.

124. *Quotuplex est hujusmodi vitium ?*

Multiplex est : quoad substantiam, et quoad qualitatem ; occultum, et manifestum ; damnosum, et non damnosum.

125. *Num venditor teneatur manifestare etiam vitium qualitatis mercis ?*

Si vitium est manifestum, non tenetur ; dummodo emptor non laboret imperitia. Si est occultum, et non damnosum, non tenetur, nisi sit interrogatus; dummodo justum servetur pretium ratione defectus. Secus, tenetur (1).

(1) Si ignorantia dederit causam contractui, ita ut si emptor scivisset vitium mercis, non emisset, potest peti rescissio contractus, vel restitutio pretii superflui : immo compensanda sunt eo casu omnia damna, et lucrum cessans. L. *Julianus* D. de act. emp. Si vero ignorantia incidat in contractum, tantum potest peti restitutio pretii superflui : scilicet habetur actio *quanti minoris*. Ad hoc non tenetur venditor, si invincibiliter ignoraverit vitium. Idem sancitur ex Codice vig. art. 1487 et seq. Ex cit. Codice hanc actionem

De Monopolio.

126. *Quid est monopolium ?*

Est duorum, vel plurium in unum conspiratio de re emenda, vel vendenda pretio ad ipsis statuto.

127. *Quotuplici modo potest contingere monopolium?*

Pluribus modis: 1. conspirando de re non vendenda vel emenda, nisi tali pretio; 2. emendo omnes merces alicujus generis, ac proinde eorum inopiam inducendo, ut ipsi soli vendant pretio, quo volunt; 3. impediendo, ne merces alicujus speciei advehantur, ut ipsi suas vendant pretio majori; 4. obtinendo a legitima potestate privilegium, ut ipsi soli vendant aliquod genus mercium.

128. *Monopolium estne licitum ?*

Primum, et secundum est illicitum; quia laeditur libertas emptorum, et venditorum. Tertium, si fiat vi, vel fraude, est illicitum contra justitiam commutativam; si fiat precibus, et mediis licitis, licitum est; dummodo ex justa causa, et intra latitudinem justi pretii. Quartum licitum est; dummodo pretium sit justum, taxatum a Principe, vel a viris prudentibus, et privilegium justa de causa obtentum fuerit.

129. *Estne licitum monopolium factum ab emptoribus de non emenda merce, nisi pretio infimo ad depellendum monopolium factum a venditoribus de vendenda merce pretio supremo ?*

Quaestio inter DD. At ex Salmanticensibus licet: et quia monopolio monopolium depellitur, et quia eo casu emptores utuntur jure proprio ad servandos se indemnes, et ad reducendum pretium ad aequalitatem.

130. *Estne licitum monopolium inter artifices de non perficiendo opere ab alio incepto ?*

Minime; quia est in damnum communitatis: ex L. *debemus* de monopolio.

---

non habet emptor, si emerit ex decreto judicis, vel in nundinis, vel in publica venditione vulgo *mercato*.

131. *Facto monopolio a venditoribus pretio injusto potestne alius mercator non monopolista eodem pretio vendere?*

Minime; quia semper venderet, vel emeret injusto pretio, et monopolio communicaret. Excipe, si merces per monopolium factae sint carae; quia tunc potest pluris vendi, quantum respondeat aequalitati mercis.

De Negotiatione.

132. *Quid est negotiatio?*

Est emptio rei cum animo eam revendendi causa lucrandi.

133. *Quotuplex est negotiatio?*

Duplex est: propria, et impropria. Prima est, quando res empta non immutata venditur; secunda est, quando res empta aliquo modo, vel forma mutata venditur.

134. *In quam poenam incidunt Clerici, vel Monachi exercentes negotiationem?*

Incidunt in excommunicationem, et suspensionem ferendae sententiae ex Trid.; (1) et si perseverent, post trinam monitionem incidunt in amissionem privilegii clericalis, et immunitatis a tributis.

135. *Possuntne clerici conducere aliena praedia, vel emere jumenta, ut lucrentur?*

Minime; quia est vera negotiatio ex Concilio Chalcedonensi.

136. *Quinam veniunt nomine Clericorum, et Religiosorum in praesenti?*

Veniunt constituti in sacris, et etiam in minoribus, si sint beneficiati; et Religiosi professi.

---

(1) Sess. 22. de Reform. cap. 1., et ex Const. Benedicti XIV. *Apostolicae Servitutis*, ac Encyclica Clementis XIII. *Cum primum* edita anno 1759. Lege D. Lig. lib. 3. n. 833., et Bened. XIV. de Synodo Dioecesana lib. X. cap. 6. n. 4. et 5.

137. *An isti teneantur restituere lucrum ex negotiatione perceptum?*

Minime; quia non peccant contra justitiam (1).

138. *An aliquando liceat Clericis negotiationem propriam agere?*

In sequentibus casibus: scilicet 1. quando secluso scandalo, negotiationem agunt de re licita raro, et in parva quantitate; quia jura loquuntur contra exercentes; 2. quando urget necessitas; quia lex Ecclesiastica non obligat urgente necessitate (2).

De Societate.

139. *Quid est societas?*

Est duorum, vel plurium conventio contribuentium aliquid in commune lucrum, et damnum.

140. *Quotuplici modo iniri possit societas?*

Duplici modo: vel inter duos, quorum unus ponit industriam, et alter sortem; vel inter duos, quorum uterque ponunt industriam et sortem.

141. *Estne licitus contractus societatis?*

Maxime habitis conditionibus, quae sunt: 1. ut sit de re licita; 2. ut periculum sortis sit apud apponentem sortem; 3. ut servetur aequalitas in omnibus, ita ut qui plus ponit pecuniae, vel operis, debeat etiam plus accipere de lucro, et item damna sint communia; 4. ut pecunia, vel aliud tradatur ad negotiandum; 5. ut ponens sortem subsit periculo amittendi sortem, et lucrum; ponens vero industriam solum subsit periculo amittendi lucrum (3).

---

(1) Ex cit. Const. *Apostolicae servitutis* possunt expoliari hoc lucro.

(2) Ex cit. Encycl. Clementis XIII. requiritur licentia Summi Pontificis in tota Italia, vel licentia saltem Ordinarii in locis extra Italiam.

(3) Ex Codice vig. art. 1725. res, quarum usufructus apponitur in societate, et usu non consumuntur, consistentes in fundis certis, et determinatis, manent periculo ejus, qui illas contulit; res vero, quae servando fiunt deteriores, vel usu consumuntur, aut ad vendendum collatae, vel aesti-

142. *Quomodo perficitur iste contractus?*

Solo consensu; et ideo dicitur conventio.

Ex Codice vig. art. 1706 contractus societatis, nonnisi scriptura fieri debet, si excedat aureos quinquaginta, exclusa omnino quacumque testium probatione.

143. *Potestne in contractu societatis apponi pactum de casu fortuito?*

Minime: quia non servaretur aequalitas, et esset contractus ad *caput salvum*, quo nempe fieret isthaec injusta conventio: ut si pereat sors, pereat apponendi industriam; et lucrum, si sit, pro medietate dividatur.

144. *An aliquando sors pereat apponenti industriam?*

Maxime: quando sors perit culpa apponentis industriam.

145. *Cuinam sit adscribendum damnum, quod socio propter societatem obvenit?*

Si damnum sequatur ex societate tamquam ex causa proxima, societati adscribendum est; si vero sequatur ex societate tamquam ex causa remota, illius est, qui damnum patitur.

146. *Qui aliquam societatem inivit, potestne aliam facere?*

Maxime: dummodo secunda societas non sit praejudicativa prioris.

147. *Teneturne ad restitutionem, qui agit contra pacta societatis, ex quo sequitur damnum?*

Maxime; quia peccat contra justitiam commutativam, et est causa damnorum.

148. *Quid si iste contra pacta societatis agens aliquod majus lucretur?*

Cum distinctione: si suo nomine fecerit, lucrum est suum. Si vero hoc egerit nomine societatis, lucrum est commune.

149. *An contractus trinus, seu trium contractuum sit licitus?*

---

matae sunt peracto inventario, periculo manent totius societatis. Vide in art. 1647. et seqq. aliquas societates locationis, et conductionis, Italice *a Soccio*.

Praemittendum, quod contractus trinus est ille, in quo habetur contractus societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri sperati. Hoc praemisso, respondeo, litigium esse inter DD., an sit licitus hic contractus. Salmanticenses cum aliis docent, licitum esse habitis conditionibus: scilicet, ut accipiens pecuniam obligetur eam negotiari; ut lucrum certum, quod exigitur, sit moderatum; ut assecuratio sortis fiat ad instantiam socii apponentis industriam. Alii vero sentiunt, non esse licitum cum eadem persona; quia per contractum assecurationis finitur societas.

150. *Quotuplici modo finitur societas?*

Multiplici modo: 1. per lapsum temporis in illa statuti; 2. per renuntiationem sive expressam, sive tacitam; 3. per mutuum consensum; 4. per mortem alicujus socii; 5. denique per egestatem socii.

Ex Codice societas finitur etiam peracto negotio, pro quo inita fuit societas; extinctione rei depositae pro negotiatione; damnatione socii ad poenam perpetuam: art. 1737.

De Censu.

151. *Quid est census?*

Est jus percipiendi aliquam pensionem ex persona, vel re alterius utili, et frugifera (1).

152. *Quotuplex est census?*

Alius est reservativus, et alius consignativus. Primus habetur, quando quis suum fundum pleno dominio, et jure in alterum transfert, servata sibi ex eodem fundo annua pensione. Alter habetur, quando quis retentis suis bonis, eorumque usu, consignat, seu dat, alteri jus percipiendi certam pensionem singulis mensibus, vel annis. Consignativus dividitur in realem, et personalem: deinde in perpetuum, temporalem, et vitalitium; in redimibilem, et inredimibilem.

---

(1) Censuarius est, qui accipit pecuniam vel rem, et se obligat ad solvendam pensionem ex re propria. Censualista est, qui pecunia emit jus percipiendi pensionem ex re alterius.

153. *An Census sit licitus?*

Census reservativus, et consignativus realis cum pensione fructuaria, sunt liciti; consignativus realis cum pensione pecuniaria etiam est licitus habitis conditionibus.

154. *Quaenam sint conditiones requisitae ad censum consignativum cum pensione pecuniaria?*

Aliae sunt de jure naturae: scilicet, ut fiat super re, vel persona frugifera; ut pretium sit justum; ut si pereat res censita in toto vel in parte, cesset pensio in toto, vel in parte. Aliae sunt de jure Canonico ex Bulla Nicolai V. in Regno Neapolitano recepta: scilicet, ut fundetur census in re immobili certa, et frugifera, addita obligatione immobilium (1); ut apponatur pactum de redimendo censum quandocumque eodem pretio in favorem censuarii, seu venditoris; ut pensio non excedat decimam partem pretii soluti, idest decem pro centum; tandem ut pecunia solvatur coram Notario, vel actu publico, vel saltem compensetur aliquo credito liquido (2).

155. *Census personalis estne licitus?*

Esset licitus de jure naturae, sed est illicitus jure Canonico; quia non fundatur in re immobili.

156. *Estne licitus census vitalitius?*

Maxime, cum sit contractus sortis.

157. *Potestne censui apponi pactum commissi: scilicet, ut debitore non solvente pensionem, contractus census rescindatur, et sors sit restituenda?*

Maxime; excepto censu vitalitio, in quo ejusmodi pactum naturali aequitati adversatur: uti constat ex praxi Fori.

---

(1) Si res censita pereat, non est solvenda pensio: sicut etiam si in perpetuum non ferat fructus ad pensionem solvendam sufficientes. Apud D. Lig. L. 3. n. 847.

(2) Aliae conditiones ex Constitutionibus Martini V., Callixti III., et Pii V. vigent in illis locis, ubi fuerunt receptae.

De Cambio.

158. *Quid est cambium?*

Est permutatio pecuniae pro alia pecunia.

159. *Quotuplex est cambium?*

Multiplex est. Siccum, et reale: siccum, seu fictum, est quaudo fingitur cambium, sed revera datur dilatio solutionis ad lucrum recipiendum; ideoque est mutuum palliatum sub nomine cambii. Reale est legitima permutatio pecuniae pro pecunia. Reale dividitur in minutum, et locale: minutum est permutatio unius pecuniae pro alia pecunia diversae formae, vel metalli: locale est permutatio pecuniae de uno in alium locum: quod cambium solet fieri per litteras, vulgo dictas *lettere di cambio.*

160. *Estne licitum cambium?*

Siccum est illicitum, quia usurarium: uti etiam patet ex Bulla Pii V. *In eam.* Reale vero est licitum; quia habentur tituli.

161. *Quinam sunt tituli, quibus licet cambium?*

Sequentes: iu cambio minuto sunt conductio officinae, officium cambiendi, labor numerandi; et potest etiam esse lucrum cessans. Iu cambio locali sunt translatio, et assecuratio pecuniae; major existimatio pecuniae in uno loco, quam in alio; et pericula, quibus pecunia subjicitur.

162. *Estne licitum in foro conscientiae campsori accipere pignus, aut aliam securitatem?*

Maxime: unicuique euim est licitum in tuto ponere suum (1).

De Emphyteusi.

163. *Quid est Emphyteusis?*

Est contractus, quo res immobilis traditur alteri quoad dominium utile ad meliorationem sub certa

(1) Campsor dicitur ille, qui in gratiam alterius cambit. Campsarius, qui recipit cambium.

pensione reali solvenda in recognitione dominii directi (1).

164. *Quaenam est differentia inter Emphyteusim, et locationem?*

In prima traditur dominium utile, in secunda tantum usus. Prima constituitur tantum in re immobili; secunda etiam in re mobili. Prima ad longum tempus constituitur; secunda ad breve tempus.

165. *Quaenam differentia inter Emphyteusim, et Censum reservativum?*

In prima transfertur dominium utile, in secundo dominium plenum. In prima, si pensio tempore praefixo non solvatur, res cadit in poenam commissi; in secundo non cadit in poenam commissi.

166. *Quotuplex est Emphyteusis?*

Duplex est: Ecclesiastica, quando nempe dominium directum spectat ad Ecclesiam; et laicalis, seu communis, quando dominium directum pertinet ad laicum. Deinde potest esse perpetua, et temporaria: prima quando fit in perpetuum; secunda ad tempus, non minus decennio. Idem ex Codice vig. art. 1681.

167. *Quaenam conditiones requirantur ad Emphyteusim?*

Sequentes: scilicet, scriptura, melioratio, et pensio.

168. *Quinam tenetur expensas facere in re Emphyteutica?*

Ad expensas pro melioratione rei, et fructuum perceptione tenetur Emphyteuta; ad expensas vero pro restauratione rei tenetur dominus directus.

169. *Teneturne solvere pensionem Emphyteuta re pereunte?*

Si res tota pereat, non tenetur; si vero in parte, tenetur; dummodo pars, quae remanet, dederit sufficientem redditum ad pensionem solvendam. Se-

(1) Qui fundum tradit, dicitur dominus directus, seu Emphyteuseos; qui recipit, dicitur Emphyteuta.

cus potest Emphyteuta petere a domino directo dimissionem ab Emphyteusi.

Ex Codice vig. idem statuitur art. 1688. : et si pars perdita sit magni momenti, potest Emphyteuta se liberare ab emphyteusi. At semper tenetur Emphyteuta solvere pensionem quacumque sterilitate, aut amissione fructuum occurrente, art. 1687.

170. *Num Emphyteuta possit soluta Emphyteusi repetere meliorationes in re emphyteutica factas?*

Maxime; nisi aliud sit statutum in pactis.

Ex Codice art. 1703. etiam sic statuitur. At si propter culpam dimittitur ex emphyteusi, tenetur dominus, habita ratione inter expensum, et melioratum, ad minus aestimatum.

171. *Quandonam Emphyteuta non solvendo pensionem statuto tempore cadit in poenam commissi?*

Si emphyteusis est Ecclesiastica, post duos annos; si laicalis, post tres annos: idest, potest dimitti ab Emphyteusi. At in emphyteusi Ecclesiastica potest purgari mora intra decem dies. Ex Codice vig. sancitur art. 1689, quoad emphyteusim laicalem, post triennium posse dimitti.

172. *Potestne Emphyteuta vendere jus utile?*

Non potest, nisi prius moneatur dominus directus; et interea debet expectare post moniticnem duos menses. Quod si Emphyteuta aliter faciat, cadit in poenam commissi.

Ex Codice vig. art. 1694. et seqq. in interpellatione, seu monitione ad dominum directum, est manifestandum pretium, et conditiones, et pacta venditionis. Si dominus directus intra bimestre voluntatem non declaraverit, habetur consensus uti praestitus. Potest dominus directus intra hoc tempus emere dominium utile jure praelationis. Item si dominium utile cedatur pro solutione debiti, vel detur in subemphyteusim: art. 1698. In quacumque alia specie hujusmodi alienationis non debetur domino directo praelatio, art. 1699.

173. *Quid debetur domino directo, quando Emphyteusis transit ad alium per alienationem?*

Debetur Laudemium a secundo Emphyteuta : quod laudemium potest esse quinquagesima pars pretii rei emphyteuticae.

Ex Codice vig. non debetur laudemium, nisi expresse sit conventum: art. 1697.

174. *Dantur casus, in quibus non debetur laudemium?*

Maxime : et primo quando haeres necessarius Emphyteutae succedit ; secundo quando pater dat rem Emphyteuticam in dotem filiae ratione necessitatis.

175. *Quinam succedunt in emphyteusim?*

Si emphyteusis sit constituta intra certum tempus, intra hoc tempus succedunt haeredes omnes : item si sit simpliciter haereditaria, idest concessa cum facultate eam transferendi ad quoscumque haeredes. Si est mixte haereditaria, idest concessa pro filiis, suisque haeredibus, et tunc filii succedunt, si sint ascendentium haeredes. Si demum sit ex pacto, et providentia, idest concessa pro filiis, seu descendentibus, isti succedunt, etiamsi non sint haeredes, seu non vocati in testamento.

De Locatione, et Conductione.

176. *Quid est locatio?*

Est contractus, quo quis rem aliquam alteri concedit utendam ad tempus, certo pretio, sive mercede constituta.

177. *Quid est conductio?*

Est contractus, quo quis certa mercede recipit pro aliquo determinato tempore rem ad usum, vel fructum.

178. *Quaenam possunt locari?*

Quae possunt vendi, nisi adsit specialis prohibitio.

179. *Quaenam locationes, et conductiones a jure prohibentur?*

A jure Canonico prohibetur : 1. locatio domus usurario publico alienigeno ; 2. locatio domus meretrici, saltem in ea parte urbis, ubi ipsis non per-

mittitur habitare; 3. conductio cujuscumque praedii a Clericis facta animo negotiandi; 4. locatio bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum Ecclesiae ultra triennium.

180. *Quaenam sint obligationes locatoris?*

Plures: 1. obligatio manifestandi conductori vitia rei locatae: secus tenetur ad damna secuta, etiamsi ignoraverit tempore locationis; 2. obligatio faciendi expensas necessarias pro conveniente usu rei locatae, et solvendi onera publica (1): 3. servandi conductorem in re locata usque ad tempus definitum.

181. *Potestne locator expellere conductorem durante tempore locationis?*

Minime, regulariter loquendo. Dixi regulariter loquendo, quia dantur casus, in quibus potest: et 1. si per biennium pensionem non solvat; 2. si abutatur re locata; 3. si casus impraevisus eveniat, in quo res locata est necessaria domino; tandem si sit necesse reficere rem locatam.

Ex Codice vig. si conductor pensionem non solvat quocumque tempore statuto, potest expelli, art. 1587.; quinimo tenetur pensionem statutam solvere usquedum alteri locetur res, et etiam ad damna, art. 1606.

182. *Quaenam sint obligationes conductoris?*

Uti re locata tamquam bonus paterfamilias, et solvere statutam pensionem.

Ex Codice vig. conductor non potest rem locatam alteri locare, quando in contractu fuit ei prohibitum, art. 1563. At in locatione fundi rustici, in qua conductor fructus fundi cum domino debet dividere, non potest sublocare, nisi expresse sit ei in contractu permissum. art. 1609. Secus, potest expelli a fundo, et compelli ad omnia damna art. 1610.

---

(1) Quaenam sint facienda expensis locatoris, vel conductoris ex Codic. vig. vide in art. 1600. et seqq.

De Fidejussione.

183. *Quid est fidejussio?*

Est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua adimpletionem, et se obligat in defectu illius.

184. *Fidejussio transitne ad haeredes?*

Maxime; quia est obligatio realis.

185. *Quinam possunt fidejubere?*

Omnes, qui habent liberam administrationem bonorum suorum. Hinc excipiuntur pupilli, minores, Religiosi.

186. *Tenenturne fidejussores solvere debita in conscientia ante judicis sententiam?*

Maxime in defectu principalis.

187. *Mulieres tenenturne, si fidejubeant?*

Maxime: nisi utantur privilegio senatus-consulti Vellejani.

188. *Dantur casus, in quibus mulier non gaudet hujusmodi privilegio?*

Maxime: et 1. quando mercede conducta fidejubet; 2. quando renuntiavit ejusmodi privilegio coram magistratu, vel juravit; 3. quando fidejubet pro dote, vel pro suo creditore; 4. quando fidejubet in fraudem creditoris; tandem quando post biennium a fidejussione pignus dedit, vel obligationem iterum suscepit.

Ex Codice vig. illi possunt fidejubere, qui possunt contrahere. Nulla mentio fit senatus-consulti Vellejani; sed mulieres uxoratae sine viri, aut judicis auctoritate fidejubere non possunt.

189. *An fidejussor possit exigere praemium pro fidejussione?*

Maxime: dummodo adsit periculum, aut molestia; quia est praetio aestimabilis.

De Assecuratione.

190. *Quid est assecuratio?*
Est contractus, quo quis ob pretium, vel gratis suscipit in se periculum rei alienae, obligans se ad compensationem illius rei, si perierit.

191. *Num sit licitus hic contractus?*
Maxime: habitis conditionibus, quarum praecipue duae sunt: 1. ut res revera existat, et sit periculo exposita; 2. ut pretium sit justum habita ratione periculi.

192. *Quid solet accipi pro assecuratione?*
Hoc definiendum est judicio peritorum, qui attentis periculis pretium taxent.

Ex Codice aliquae dispositiones peculiares quoad hoc exponuntur in Codice Commercii, art. 67. 323. 339. et seqq.

De Ludo.

193. *Quid est ludus?*
Est contractus, quo ludentes bona propria aequaliter deponunt cum pacto, ut victori cedat id, quod depositum est.

194. *Quot sunt ludorum species?*
Sunt tres: vel solius sortis, vel solius industriae, vel sortis simul, et industriae.

195. *Estne licitus ludus?*
Maxime, habitis conditionibus: quarum 1. est, ut sit sine vi, dolo, aut fraude; 2. ut ludens possit disponere de re, quam ludo exponit; 3. ut sit aequalis conditio colludentium; 4. tandem ut non ludatur principaliter propter lucrum, et absit omnis causa peccati.

196. *An ludus alearum sit Clericis prohibitus?*
Maxime ex canone 41. Apostolorum, qui refertur in dist. 35., et ex aliis locis canonicis: quod renovavit Trid. At nonnulli docent Theologi Clericos non fieri culpa gravi obstrictos, nisi quando fre-

quenter, aut in magna quantitate, aut publice cum scandalo populi ludunt. (1).

197. *Qui per ludum invalidum, vel illicitum aliquod lucratur, potestne illud retinere?*

Si ludus est invalidus, non potest retinere; nullum enim habetur jus. Si illicitus, potest, quia non est peccatum contra justitiam.

198. *An liceat in ludo fraudes et astutias adhibere?*

Licet solum illas fraudes adhibere, quae ex more licite solent adhiberi: nempe ex tacito colludentium condicto.

199. *Ludens pecunia non sua facitne suum, quod ludendo acquirit?*

Minime: sed restituere debet collusori perdenti; dummodo non habeat aliud suum, quod tradere poterat perdendo; quia aliter non servaretur aequalitas.

De Sponsione.

200. *Quid est sponsio?*

Est contractus, in quo duo de veritate, vel de eventu rei contendentes, aliquid spondent, ut sit ejus, qui veritatem sit assecuturus.

201. *Estne licitus hic contractus?*

Si est de re licita, habitis conditionibus est licitus: quarum prima est, ut sit de re dubia; 2. ut dubium eventus sit in utroque spondente; 3. ut res in controversia eodem sensu accipiatur ab utroque; 4. tandem ut res, quae spondetur, sit proportionata incertitudini. Secus, est illicitus.

202. *Sponsio super morte, vita, aut salute Summi Pontificis; aut super promotione Cardinalium, estne prohibita sub aliqua poena?*

Maxime, sub poena excommunicationis reservatae Summo Pontifici ex Bulla Greg. XIV. *Cogit nos.*

---

(1) Ex D. Lig. L. 3. n. 899. non peccant graviter clerici, qui raro, moderate, et privatim sine scandalo aleis ludunt.

De Promissione.

203. *Quid est promissio?*

Est deliberata fidei obligatio facta alteri, de quapiam re licita, et possibili.

204. *Quaenam differentia intercedit inter votum, et promissionem?*

Haec est: votum fit Deo, promissio fit etiam hominibus. Primum obligat virtute Religionis; secunda ex justitia, et fidelitate. Votum debet esse de meliori bono; promissio de quapiam re bona.

205. *Quaenam differentia intercedit inter promissionem, et propositum?*

Promissio exigit voluntatem se obligandi; propositum importat intentionem faciendi, vel dandi. Deinde propositum secum fert obligationem tantum ex veracitate; promissio ex veracitate, et fidelitate.

206. *Quotuplex est promissio?*

Multiplex est: perfecta, quando est acceptata; imperfecta, quando non est acceptata. Insuper propria, et impropria. Impropria est, quando quis se intendit obligare tantum ex veracitate, vel ex fidelitate; propria est, quando ex justitia intendit se obligare (1).

207. *Quandonam obligat promissio?*

Post acceptationem. Nam obligatio ex contractu intelligi non potest, nisi ex mutuo consensu duorum exurgat. Hinc promissio etsi juramento confirmata, potest ante acceptationem revocari.

---

(1) Ut promissio valeat, et obliget, requiruntur sequentes conditiones: ut adsit voluntas se obligandi; unde non est satis dicere: *promitto hoc facturum* si solum intendatur propositum, non autem adsit voluntas se obligandi; ut adsit perfecta deliberatio, et advertentia ad id, quod agitur; eadem saltem, quae est sufficiens ad peccatum; ut non adsit error vel dolus circa substantiam vel causam finalem; ut sit spontanea, ita ut ex mera liberalitate procedat; ut sit de re licita, et possibili; ut tandem acceptetur a promissario signis externis, sicut signis externis a promittente fieri debet. Gravitas materiae in promissione debet esse major illa quantitate, quae constituit furtum grave.

*

208. *Danturne casus, in quibus promissio obligat ante acceptationem?*

Maxime: et 1. est, quando promissio est facta infantibus, aut rationis incapacibus; quia in hoc casu promissio acceptatur a lege (1); 2. quando promissio facta est civitati causa reparationis, aedificii; et secundum aliquos quando est facta Ecclesiae, vel locis piis.

209. *Peccatne, qui non adimplet acceptatam promissionem?*

Si promissio est impropria, peccat venialiter; si est propria, peccat graviter, nisi excuset parvitas materiae.

210. *An mortuo promissario possint haeredes acceptare promissionem?*

Minime; quia acceptatio est actio personalis, quae expirat cum persona.

211. *An mortuo promittente possint haeredes revocare promissionem, nondum acceptatam?*

Quaestio inter Doctores.

212. *Quando promissio est acceptanda?*

Post notitiam promissionis.

213. *Quot modis promissio desinit obligare?*

Pluribus modis: condonatione promissarii, mutatione objecti, ingratitudine promissarii; tandem per insubsistentiam causae finalis.

De Donatione.

214. *Quid est donatio?*

Est collatio rei licitae alteri facta ex mera liberalitate, nullo jure cogente.

215. *Quotuplex est donatio?*

Multiplex est: mere gratuita, et remuneratoria. Prima est, quae fit sine intuitu alicujus beneficii recepti; secunda, quae fit intuitu alicujus beneficii. Deinde alia est causa mortis, alia inter vivos. Prima est, quae fit ob suspicionem mortis; secunda,

(1) L. 7. D. de pollicit.

quae fit absque tali suspicione, quatenus nempe qui donat ita donationem instituit, ut etiam vivens velit absolute transferre rem in dominium donatarii (1).

Ex Codice donatio habetur inter vivos, et per testamentum; ideoque tantum per testamentum fieri potest donatio causa mortis, art. 813.

216. *Quinam possunt donare?*

Omnes, qui habent dominium, et plenam administrationem rei donandae. Hinc a jure prohibentur donare mentis impotes, impuberes, Ecclesiastici de bonis Ecclesiae: qui tamen possunt facere donationem remuneratoriam (2).

217. *Valetne donatio inter conjuges?*

Non statim est firma, cum possit ad nutum donantis revocari.

218. *Dantur casus, in quibus non potest revocari haec donatio?*

Maxime: 1. si sit remuneratoria; 2. si firmetur juramento: 3. si sequatur mors donatoris; 4. si fiat ad dignitatem, ad bellum, ad litteras addiscendas;

---

(1) Gravitas materiae in donatione est quantitas quadrupliciter major materia gravi requisita in furto.

(2) Ex Codic. vig. art. 819. possunt donare, qui possunt contrahere.

Jure Cesario est nulla donatio ultra quincentos solidos, idest ultra 800. ducatos nostri Regni; et quidem est nulla quoad excessum horum 800. ducatorum. At est valida, si donatio sit remuneratoria, si firmata juramento, si cum insinuatione, si ad causas pias. Sicut etiam donatio omnium bonorum est nulla. Sed valida est: quando est firmata juramento; ratione alterius contractus onerosi; et quando est ad causas pias facta. Donatio patris facta filio potest revocari arbitrio patris; dummodo non sit firmata juramento, vel filius emancipetur, vel sit naturalis, aut donatio sit remuneratoria, vel facta causa studii, susceptionis Ordinis sacri, vel causa militiae.

Ex Codice vig. nulla distinctio hujusmodi donationum. At illi, qui habent haeredes necessarios, possunt solam partem disponibilem donare; illi, qui non habent haeredes necessarios, possunt omnia donare bona praesentia; et in contractu matrimonii possunt etiam bona futura: art. 832. 1040.

5. si fiat ad tollendam inaequalitatem.

Ex Codice permittuntur donationes inter conjuges, sed sunt revocabiles usque ad mortem donatoris art. 1050. Donationes mutuae inter conjuges uno, eodemque actu, durante matrimonio, prohibentur. art. 1051. Si unus ex conjugibus habet filios ex precedente matrimonio, non potest donare alteri conjugi plus quam sit quota, quae spectat ad filium legitimum, qui minus accipit. art. 1052.

219. *Num donatio inter vivos revocari possit?*

Minime, nisi ob tres casus: scilicet ob ingratitudinem donatarii; ob prolem postea susceptam; ob inofficiosam donationem.

220. *In quibus delictis habetur ingratitudo donatarii?*

In sequentibus: idest quando donatarius effundit atroces injurias in donantem; quando injicit impias manus in donantem; quando attentat mortem donatori; quando intulit damnum notabile bonis donatoris; et tandem quando onera, et conditiones impositas non adimplet.

Ex Codice eadem delicta recensentur, addito altero de alimentis negatis donatori a donatario, art. 880. Per ingratitudinem donatarii non revocatur ipso jure donatio, sed datur actio ad revocationem, art. 881. At donationes causa matrimonii factae non possunt revocari ob ingratitudinem donatarii, art. 884. Si non adimpleantur conditiones impositae in donatione, bona donata redeunt ad donatorem libera a quocumque onere, etiamsi sint apud tertium possessorem, art. 879. Haec actio ob ingratitudinem donatarii institui potest infra annum a die delicti ingratitudinis, vel a die scientiae hujus ingratitudinis. art. 882.

221. *Ingratitudo Praelati nocetne donationi factae Ecclesiae?*

Minime: quia donatio est principaliter facta Deo; etiamsi sit remuneratoria.

222. *Haeredes donatoris possuntne instituere querimoniam contra donatarium ingratum?*

Minime ; quia hoc jus est personale , et non transit ad haeredes. Excipitur casus : quando donator ignoravit commissam ingratitudinem ; vel fuit impeditus , aut morte praeventus , cum vellet conqueri.

223. *Donator potestne instituere querimoniam contra haeredes donatarii ingrati ?*

Minime ; nisi lis cum delinquente jam contestata fuerit ante mortem.

Ex Codice non potest donator instituere querimoniam contra haeredes donatarii ingrati, art. 882. Neque haeredes donatoris contra donatarium ingratum ; dummodo actio non sit jam instituta a donatore ; aut donator non sit mortuus infra annum commissae ingratitudinis art. 882.

224. *An donatio inter vivos possit revocari ob prolem postea susceptam ?*

Maxime ; dummodo non sit remuneratoria.

225. *Dantur casus , in quibus donatio ultra legitimam , non potest revocari ob prolem inde susceptam?*

Maxime : et 1. si donator cogitans de futura prole absolute donet ; 2. quando expresse renuntiaverit huic privilegio ; 3. si donatio facta fuerit Ecclesiae vel ad pias causas ; 4. tandem si fuerit facta filio , et postea appareat inofficiosa aliis filiis.

Ex Codice possunt ex suscepta prole ipso jure revocari donationes quaecunque illae sint , etiam intuitu matrimonii ; dummodo non fuerit donatio conjugibus facta ab ascendentibus , vel ab uno conjugum alteri. Possunt etiam revocari , si filius erat jam conceptus tempore donationis ; etiamsi post donationem natus sit filius naturalis , et per subsequens matrimonium legitimatus ; etiam posthumus ; quamvis donator quacumque conventione , et clausula renuntiaverit huic privilegio , art. 885 , 886 , et seqq. Omnia bona donata redeunt ad donatorem immunia a quocumque onere , art. 879. et 888.

226. *Quando donatio dicitur inofficiosa filiis ?*

Quando fit a patre habente filios , demendo de legitima illis debita ; ideoque rescindi potest quoad eam partem , qua diminuitur legitima.

227. *Teneturne donatarius in conscientia restituere rem donatam in expositis casibus ante sententiam judicis?*

Si ob ingratitudinem, non tenetur; in aliis casibus tenetur.

228. *Quinam possunt donare causa mortis?*

Omnes, qui possunt testari; et possunt omnia bona donare praeter legitimam.

229. *Quando potest revocari donatio causa mortis?*

In sequentibus casibus: 1. per revocationem donatoris; 2. per mortem donatarii ante mortem donatoris; 3. tandem cessante periculo mortis, si fuerit facta ob instans periculum mortis.

De Deposito.

230. *Quid est depositum?*

Est contractus, quo aliquid custodiendum alicui traditur. Hic contractus est in favorem deponentis nulla mercede data, vel promissa; ideoque obligat depositarium de culpa lata (1).

231. *Dantur casus, in quibus depositarius de omni culpa tenetur?*

Maxime: et est 1. si depositarius se obligaverit ad custodiendum depositum maxima diligentia; 2. si est caupo, stabularius, nauta; quia aliter aperiretur via fraudibus (2).

232. *An depositarius uti possit deposito?*

Minime, sine expressa, vel praesumpta domini licentia.

---

(1) Ex Codice vig. depositum voluntarium debet fieri per scripturam, si excedat summam ducatorum quinquaginta. art. 1793. et 1795. Depositum necessarium, quod fit ob aliquem casum impraevisum, uti ob incendium, naufragium, etc. satis est probari testibus, si excedat praedictam summam. art. 1824.

(2) Ex Codice vig. caupones, diversores, tenentur de omni culpa pro rebus in sua diversoria introductis a viatoribus; et etiam pro damnis, et furtis circa hujusmodi res: dummodo furtum non fuerit factum armata manu, vel vi insuperabili: art. 1824. et seqq.

233. *In quibus casibus habetur praesumpta, seu tacita domini licentia?*

In sequentibus: 1. quando usus rei depositae cedit in commodum ipsius deponentis; 2. quando deponitur pecunia numerata non clausa, vel obsignata (1).

234. *Potestne depositarius retinere lucrum ex pecunia deposita perceptum, si illam exponat negotiationi?*

Maxime, si nomine proprio exponat (2).

235. *Teneturne depositarius de casu fortuito?*

Minime, nisi intercesserit mora, aut culpa, aut pactum.

De Commodato, et Precario.

236. *Quid est commodatum?*

Est concessio alicujus rei ad aliquem specialem usum gratis alteri facta.

237. *Quaenam sit differentia inter commodatum, et locationem, pignus, depositum, et mutuum?*

Haec est: commodatum fit gratis, locatio importat stipendium; in commodato conceditur usus, in pignore habetur tantum securitas debiti; in mutuo transfertur etiam dominium, in deposito habetur tantum obligatio custodiae.

238. *De qua culpa tenetur commodatarius?*

Tenetur de omni culpa; quia est in favorem sui. At si commodetur aliquid in favorem commodantis, commodatarius tenetur de culpa lata, et dolo; si in favorem utriusque, ambo tenentur de culpa lata, et levi.

---

(1) Ex jure Caesario L. *Si quis.* C. l. 10. tit. 6. De his, qui ex publicis rationibus: prohibetur Thesaurarios, Telonarios, Eleemosynarios Communitatum posse uti pecunia deposita.

(2) Ex Codice vig. art. 1808 haeres depositarii non potest retinere fructus ex deposito perceptos bona fide. Ad *interesse* vero non tenetur, nisi a die, qua constitutus fuit in mora de non facta restitutione.

239. *Teneturne commodatarius de casu fortuito?*

Minime; quia non transfertur dominium, sed usus (1).

240. *Potestne commodans repetere rem commodatam ante praefixum tempus?*

Minime. At si commodans sit passurus majus, vel aequale damnum, nisi rem commodatam exigat ante tale tempus, tunc potest repetere. Idem ex Codice vig. art. 1761.

241. *Commodatarius potestne rem commodatam alteri recommodare?*

Maxime: dummodo nullum damnum obveniat domino, aut aliter sit conventum.

242. *Quando sit restituenda res commodata?*

Tempore praefixo; et si tempus non sit praefixum, est restituenda post usum, ad quem fuit concessa.

243. *Ad quem spectant expensae rei commodatae?*

Expensae ordinariae ad commodatarium; extraordinariae pro conservatione rei ad commodantem (2).

244. *Quid est precarium?*

Est illud, quod precibus petenti conceditur quamdiu is, qui concessit, patitur.

---

(1) At si intercesserit culpa, mora, vel pactum, tunc tenetur commodatarius de casu fortuito. Ex Codice vig. etiam tenetur commodatarius, quando utitur re commodata ad alium usum, vel ad tempus longius, vel quando poterat rem commodatam servare substituendo rem suam; vel quando res commodata fuerit aestimata: nisi aliter fuerit conventum. 1753. 1754. 1755.

(2) Obligationes commodatarii sunt sequentes: 1. debet restituere rem commodatam tempore statuto; secus tenetur de casu fortuito, quia est in mora culpabili; 2. debet uti re ad usus concessos; secus tenetur de casu fortuito ex culpa; 3. debet facere expensas ordinarias necessarias in re commodata. E contrario obligationes commodantis ad has reducuntur: 1. debet monere commodatarium de vitio rei: 2. non potest repetere commodatam rem ante tempus praefixum, nisi urgeat necessitas: 3. debet commodare gratis; secus erit contractus locationis, vel innominatus.

245. *De quanam culpa tenetur, qui accipit precarium?*

De culpa lata, et dolo.

246. *Potestne statim repeti precarium?*

Minime; quia aliter esset illusorium.

247. *Quomodo revocatur precarium?*

Hisce modis: expressa voluntate concedentis, vel tacita; morte concedentis, vel morte illius, cui fuit concessum.

De Mutuo.

248. *Quid mutuum?*

Est contractus, quo res usu consumptibilis traditur quoad dominium, et usum sub obligatione postmodum reddendi similem in specie, quantitate, et bonitate.

249. *Quotuplex est mutuum?*

Duplex est: expressum, et tacitum. Primum habetur, quando quis expresse dat aliquid in mutuum. Secundum est illud, quod virtualiter includitur in aliquo contractu.

250. *Differtne mutuum a donatione?*

Maxime: quia in mutuo habetur obligatio restituendi, non vero in donatione.

251. *Daturne obligatio mutuandi?*

Maxime ex charitate: quando proximus est in gravi, vel extrema necessitate; quia si quisque tenetur facere eleemosynam in tali necessitate, a fortiori ad mutunm tenetur.

252. *Si res mutuata pereat, cuinam pereat?*

Mutuatario; quia ipse est dominus rei.

253. *Quandonam mutuatarius teneatur restituere mutuum?*

Si tempus est praefixum, tempore praefixo; si vero non sit praefixum, determinari debet ex circumstantiis (1).

---

(1) Obligationes mutuatarii sunt: ut restituat mutuum tempore praefixo; ut restituat mutuum in eadem specie, quantitate, et qualitate; ut si sit in mora, vel culpa, teneatur

254. *Danturne casus, in quibus non habetur obligatio restituendi mutuum?*

Maxime: 1. quando pecunia fuit mutuata filiofamilias ex privilegio senatusconsulti Macedoniani; etiamsi renuntietur huic privilegio; (1) 2. quando mutuum fuit datum minori; 3. quando fuit datum Ecclesiae, vel Civitati, vel oppido.

Ex Codice nullum privilegium istis conceditur. Attamen art. 297. statuitur, quod si filiusfamilias major ante expletam aetatem 25. annorum mutuum acceperit sine consensu patris, tunc non obligatur ad mutuum, quando mutuator non potest probare mutuum datum hujusmodi filiofamilias conversum esse in utilitatem ejusdem. Si filiusfamilias est minor, nulliter contrahit; ideoque non obligatur, uti dictum est in n. 58. nota 1.

255. *Dantur casus, quibus filiusfamilias tenetur restituere mutuum acceptum?*

Maxime: et 1. quando habet bona castrensia, vel quasi; 2. quando existimabatur sui juris tempore mutui; 3. si conversum fuit mutuum in utilitatem patris; 4. tandem quando mutuum non fuit de pecunia, sed de alia re.

256. *Quando minor, Ecclesia, civitas, etc. non tenetur mutuum restituere?*

Quando mutuans non potest probare mutuum conversum esse in utilitatem eorum. At gubernator civitatis in conscientia tenetur mutuum restituere ex L. *Civitatis* 26., et ex Authentica *Hoc jus porrectum* C. De Sacrosanct. Eccles.

257. *Quomodo mutuum sit restituendum, juxta quantitatem, an juxta valorem?*

Juxta valorem, si est de pecunia; si vero est

---

ad damna. Obligationes mutuantis sunt: ut det mutuum gratis; ut moneat mutuatarium de vitio rei mutuatae; ut non repetat mutuum ante tempus praefixum.

(1) An teneatur in conscientia filiusfamilias restituere mutuum, ita ut ex hujusmodi privilegio tantum mutuator privetur actione in foro externo, quaestio.

de alia re, juxta quantitatem (1).

258. *Dantur casus, in quibus licet restituere pecuniam juxta quantitatem?*

Maxime: 1. quando aeque adest dubium augendi, vel diminuendi valorem pecuniae: 2. quando valor pecuniae, etsi certo augendus erit, tamen creditor esset conservaturus illam usque ad tempus incrementi. Denique quando valor est augendus, et liberum erit mutuatario solvere ante incrementum; dummodo judicetur mutuatarium posse restituere ante incrementum.

De Usura.

259. *Quid est usura?*

Est lucrum immediate proveniens ex mutuo ratione mutui.

260. *Quotuplex est usura?*

Multiplex est: mentalis, realis, et palliata. Prima est illa, qua sine pacto externo intenditur aliquid consequi supra sortem ratione mutui; secunda est illa, in qua expresse, vel tacite lucrum ex mutuo in pactum deducitur; tertia est, quae sub pallio seu velamine alicujus liciti contractus committitur.

261. *Ex quo jure est prohibita usura?*

Omni jure. Ex jure naturae; quia ex mutuo cum transferatur dominium, exigeretur aliquod ex re aliena. Jure Divino; uti eruitur ex his, quae leguntur apud Lucam: *mutuum date, nihil inde sperantes.* Ex jure Canonico: uti videre est in poenis contra usurarios latis (2).

---

(1) Mutuum de pecunia est restituendum juxta valorem tempore restitutionis, si valor non est intrinsece mutatus. Ex Codice vig. art. 1767. mutuum pecuniae est restituendum in eadem summa numerica expressa in contractu. Si valor pecuniae augeatur, vel diminuatur, semper restituenda est eadem summa numerica, scilicet centum, mille, etc. aurei, et illis monetis secundum quod istae valent tempore restitutionis, seu solutionis.

(2) Potest objici: ex Codice art. 1777. generatim con-

262. *Usurarius mentalis teneturne restituere lucrum?*
Maxime; quia injuste retinet.

263. *Licetne sperare lucrum, vel intendere ex mutuo causa merae amicitiae, gratitudinis, vel liberalitatis mutuatarii?*

Ex mera amicitia, gratitudine etc. non est peccatum; quia in se bonum. Tamquam ex debito gratitudinis, etc., non licet, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. (1).

264. *Estne usura ratione mutui impônere mutuatario ut remutuetur, ut frequentet officinam mutuantis?*

Maxime; quia imponitur onus, ad quod non tenetur mutuatarius.

265. *Potestne exigi lucrum ex mutuo ratione dilationis, nempe quia mutuans se obligavit non repetere mutuum usque ad certum tempus?*

Minime; quia dilatio est intrinseca mutuo, et

---

ceditur posse in mutuo convenire de *interesse*. Ergo ex jure civili saltem non prohibetur usura. Respondetur: legem a Principe Catholico latam, non secus esse intelligendam, ac lex Christi, et Ecclesiae intelligat: porro hujusmodi leges tunc tandummodo lucrum admittunt, quando justus titulus inest mutuo, et ex illo, non ex mutuo, auctarium seu *interesse* percipitur.

Neotericus Auctor Operis inscripti: *Le usure. Libri tre* pro viribus suadere conatur licitam et justam esse usuram moderatam, et non excedentem, si isthaec exigatur ex mutuo divitibus praestito, eo potissimum innixus argumento, quia lucrum est usui pecuniae intrinsecum. At nemo est qui opinionis fallaciam non videat: tum quia usus rei mutuatae ipsi mutuo inest; tum quia, si lucrum esset usui pecuniae intrinsecum, utpote justum usus pretium, ut ipse dictitat, aeque a divitibus, quam a pauperibus juste exigi posset: uti juste exigitur pretium mercis, merces locationis, conductionis. Vides igitur ipsomet principio labefactum errorem.

Legesis opusculum a me nuper editum, cujus titulus: » Osservazioni su di alcune dottrine dell' Abate Righetti del » Digiuno e della Quaresima, e sulla opinione del Mastrofini » circa le usure.

(1) Prop. 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, ex gratitudine debitum; sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.*

in contrarium adest propositio damnata ab Alex. VII. (1).

266. *Licetne exigere aliquid ultra sortem ea ratione, quia pecunia praesens est praestantior futura?*

Minime; quia pecunia est semper per se sterilis, et contrarium fuit damnatum ab Inn. XI. (2).

267. *Estne usura mutuare cum pacto solvendi debitum alteri?*

Cum distinctione: si debitum est certum, et liquidum, non est usura; quia imponitur onus, ad quod tenetur mutuatarius. Secus, est usura.

268. *Licetne mutuare cum pacto remittendi injuriam inimico?*

Si sermo sit de foro interno, licet; de foro externo, non licet.

269. *Potestne quis sine labe usurae pecunia credita vendere frumentum mense Augusti eo pretio, quo valebit mense Januarii?*

Cum distinctione: si mense Januarii potest pretium augeri, et minui, potest vendere; quia est contractus sortis. Si potest tantum augeri, et iterum distinguitur; vel dominus est conservaturus frumentum usque ad illud tempus, licet deductis expensis pro conservatione frumenti; secus, non licet.

De Titulis excusantibus ab usura.

270. *Quinam sint tituli, quibus ultra sortem exigi potest aliquid in mutuo?*

Sequentes: lucrum cessans, damnum emergens, et periculum sortis.

271. *Quid lucrum cessans, damnum emergens, et periculum sortis?*

---

(1) Prop. 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligavit ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

(2) Prop. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

Lucrum cessans habetur, quando causa mutui non potest percipi aliquod emolumentum; damnum emergens, quando quis in bonis suis patitur detrimentum ratione mutui; periculum sortis, quando datur mutuum personae non satis notae, vel debitis obstrictae (1).

272. *Quaenam conditiones requirantur, ut quis possit exigere ultra sortem aliquid ratione lucri cessantis?*

Plures: 1. ut lucrum revera, vel probabiliter cesset; 2. ut cesset ratione mutui; 3. ut exigatur tantum, quantum importat spes lucri deductis expensis, et laboribus; 4. ut moneatur mutuatarius de tali lucro cessante.

273. *Quot conditiones requirantur pro damno emergente?*

Sequentes: 1. ut damnum revera, vel probabiliter emergat; 2. ut emergat ratione mutui; 3. ut tantum exigatur, quantum est damnum judicio prudentum; 4. ut moneatur mutuatarius de tali damno.

274. *Quaenam requirantur ad aliquid accipiendum ob periculum sortis?*

Ut periculum sit extrinsecum, idest proximum, et probabile; 2. ut tantum accipiatur, quantum alteri daretur pro tali assecuratione; 3. tandem ut non cogatur mutuatarius ad tale assecurationis pactum ineundum.

275. *Qui bona fide iniit contractum usurarium, cum possit alium licitum contractum inire, et sic lucrari, potestne cognita re scilicet usura, acceptum lucrum retinere?*

---

(1) Periculum sortis potest esse intrinsecum, seu remotum et mere possibile: scilicet quando oritur ex casibus fortuitis; et extrinsecum, seu proximum et probabile: uti si daretur mutuum alicui decocto, perfido, etc. Deinde potest esse juris, et facti. Periculum juris est illud periculum rei mutuatae, quod ex jure attinet ad mutuatarium, et tamen suscipitur a mutuante. Periculum facti est periculum, quod habetur, quando datur mutuum personae decoctae, perfidae, gravatae aere alieno, etc.

Quaestio inter DD. Alii negant; quia injuste accepit, ideoque semper injuste retinet. Alii affirmant; quia revera cessat lucrum ratione mutui.

276. *Potestne aliquid ultra sortem exigi ab eo, qui dat in mutuum pecuniam negotiationi expositam, cum possit aliam pecuniam otiosam negotiationi substituere?*

Si pecunia est omnino otiosa, et ad alium usum non destinata, non potest; aliter, potest. Quamvis alii contrarium sentiant.

277. *Licetne aliquid exigere ultra sortem, quia mutuatarius est pauper?*

Minime; quia paupertas est periculum intrinsecum. At si revera est talis paupertas, ut periculum fiat extrinsecum, potest.

278. *Estne usura accipere aliquid ratione mutui a divitibus, vel ab illis, qui ex pecunia mutuata magnum lucrum reportant?*

Maxime; nam pecunia cum sit in se sterilis, lucrum ex industria potius provenit, quam ex pecunia: uti videre est in Ep. Encyclica Bened. XIV. *Vix pervenit* an. 1745. edita.

279. *Potestne exigi statim, ac mutuatur, quod debetur ex lucro cessante?*

Minime. Nam debet exigi tempore, quo lucrum cessat.

280. *Estne licitum pactum poenae conventionalis: scilicet ut si mutuatarius mutuum intra aliquod statutum tempus non restituat, solvat aliquid ultra sortem?*

Licet, concurrentibus sequentibus conditionibus: videlicet, ut poena non sit apposita ad palliandam usuram; ut poena sit justa, et moderata; denique ut mora sit culpabilis ex parte mutuatarii.

281. *Potestne exigi pignus in securitate mutui?*

Maxime; quia pignus est contractus, quo res mobilis alteri traditur ad securitatem crediti.

282. *Licetne in pignore apponere pactum legis commissoriae: scilicet ut pignus fiat creditoris, si mutuatarius non solvat intra certum tempus?*

Ordinarie loquendo non licet; quia pignus semper pluris valet. Dixi ordinarie loquendo: quia si pignus valeret tanti, quanti valet mutuum, vel excessus restitueretur domino, tunc liceret.

283. *Potestne in pignore apponi pactum antichriseos, vulgo* contratto a godi e godo*?*

Minime: illicitum enim, et usurarium est hoc pactum. Porro pactum antichriseos est conventio inter debitorem, et creditorem, ut creditor possit tamdiu uti pignore, et fructibus ejus, quamdiu pecunia est in manu debitoris, scilicet donec solvatur debitum.

284. *Dantur casus, in quibus pactum antichriseos sit licitum?*

Maxime: 1. quando creditor certo pretio pignus emit cum pacto retrovendendi; 2. quando pignus fuit datum ratione dotis; quando habetur titulus aliquid exigendi ultra sortem.

285. *Quotuplicis generis sunt Usurarii, et in quam poenam incidant?*

Occulti, et notorii. Notorii tantum incidunt in poenam infamiae, in privationem communionis Altaris, et sepulturae Ecclesiasticae. Praeterea non sunt admittendi ad oblationes faciendas Ecclesiae, et ejus Ministris. Si sunt clerici, et moniti non desistunt, suspendendi sunt ab officio, et beneficio. Denique non possunt ejusmodi usurarii conficere testamentum, nisi usuras ante mortem solverint, vel cautionem dederint pignoratitiam, vel fidejussoriam solvendi.

286. *In quam poenam incidunt, qui praesumptuose sepeliunt usurarium publicum?*

Incidunt in excommunicationem: a qua non pos sunt absolvi, donec satisfecerint ad arbitrium Episcopi. Ex Clem. Unica *Eos qui.* De Sepulturis.

287. *In quam poenam incidunt, qui recipiunt oblationes usurarii?*

Clericus incidit in suspensionem ab officio, donec satisfaciat ad arbitrium Episcopi. Clem. *Ex gravi* De usuris.

288. *Quaenam est poena contra locantes domum usurariis publicis alienigenis?*

Si sunt Ecclesiastici, incidunt in poenam excommunicationis nemini reservatae. Si sunt Episcopi, in suspensionem. Si est Communitas, seu universitas, modo per mensem animo obstinato illos sustinuerit, incidit in interdictum. Cap. I. *Univers.* De usuris in 6.

289. *Notarius, qui condit instrumentum usurarium, peccatne, et tenetur ad restitutionem?*

Si condit ad instantiam mutuatoris, peccat contra justitiam, et Religionem ratione juramenti praestiti: et tenetur ad restitutionem in defectu mutuatoris. Si condit ad instantiam mutuatarii, qui habet justam causam, non peccat; si vero ad instantiam mutuatarii, qui non habet justam causam, peccat contra charitatem, et contra Religionem ratione juramenti.

290. *In quam poenam incidit judex, vel Officialis communitatis, qui compellit ad solvendas usuras, vel impedit restitutionem faciendam ab usurario?*

In excommunicationem latae sententiae. Clemen. cit. *Ex grav.*

DE TESTAMENTIS.

1. *Quid est testamentum?*

Testamentum est nostrae voluntatis justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Ita definitur a Modestino Jurec. in L. 1. D. de testam. ordin.

2. *Quotuplex est testamentum?*

Duplex: clausum, et nuncupativum. Primum est illud, quod scriptura fit juxta formam juris, in quo usque ad mortem testatoris latet, quod scriptum est. Secundum est, quo testator coram testibus declarat, quod post mortem vult fieri (1).

At ex Codice vigente in regno Neapolitano triplex agnoscitur testamentum: scilicet holographum,

(1) Codicillus etiam est actus, quo testator potest disponere de suis bonis post mortem. De hoc nulla mentio in Codice vig.

per actum publicum, et in forma mystica. Holographum est illud, quod integre scribitur propria manu testatoris, et ab eo subscribitur, addito anno, et die: et hoc sine alia solemnitate firmum est. Per actum publicum est, quod fit a Notario: pro cujus firmitate debent servari sequentes conditiones: 1. ut adsint duo Notarii coram duobus testibus, vel unus Notarius coram quatuor testibus; 2. ut debeat testamentum a testatore dictari; et a Notario scribi; 3. ut scriptum coram testibus legatur, et subscribatur in omnibus foliis a testatore, et testibus; 4. ut declaretur in testamento omnes solemnitates servatas esse (1). Si fiat vero testamentum in villis, potest subscribi ab uno teste, quando adsunt duo Notarii, a duobus testibus, si unus Notarius (2). Si testator nesciat scribere, aut nequeat, debet exprimi, et etiam causa (3). Praeter praedictas solemnitates debet Notarius servare omnia alia requisita ad omnes alios actus authenticos juxta normam legum Notarialium (4).

Testamentum in forma mystica est, quod scriptura manu propria, vel aliena confectum, clausum, ac sigillo obsignatum traditur Notario coram sex testibus; et involvitur charta, in qua debent subscribere testator, testes, et Notarius. At si testator non potest scribere dispositiones a se factas, vel subscribere, debet adhiberi septimus testis, et causa addictionis hujus testis debet exprimi. Qui nesciunt, vel nequeunt legere, non possunt testari in forma mystica. Qui autem nequeunt loqui, debent integre scribere manu propria testamentum, et Notario declarare in eo contineri suam voluntatem (5).

3. *Solemnitatibus a jure requisitis omissis redditurne nullum testamentum?*

Quaestio inter Theologos (6). Sicut etiam est

---

(1) Art. 894. 895. 986. (2) Art. 900.
(3) Art. 897. (4) Art. 927.
(5) Art. 902. 903, et seqq.
(6) In foro externo certum est, testamentum esse nullum. Probabilius est, esse nullum etiam in foro conscientiae:

quaestio, num valeat testamentum ex jure naturae, an ex jure civili. At aliqui sustinent, testamentum minus solemne esse validum in conscientia usquedum a judice nullum declaretur; dummodo certo constet illam fuisse voluntatem testasoris.

4. *Danturne casus, in quibus testamentum sine istis solemnitatibus sit validum?*

Maxime: testamentum ad pias causas; (1) testamentum a patre, vel a matre, vel ab alio ascendente confectum; testamentum coram supremo Principe factum, vel a milite in expeditione dispositum. At ex Codice vigente tantum est privilegiatum testamentum militis in expeditione militari, vel in arce ab hostibus obsessa; testamentum navigantium; et testamentum confectum tempore pestis (2).

5. *Quinam debent esse testes testamenti?*

Masculi, puberes, et liberi. Ex Codice vero vigente debent esse masculi, aetate majores, subditi Regis, et civilibus juribus gaudentes. In testamento per actum publicum excluduntur legatarii, consanguinei, et affines usque ad quartum gradum, et coadjutores Notariorum in actu illo requisitorum. art. 906. 901.

6. *Quinam possunt testari?*

Quaevis persona a jure non impedita potest testari de suis bonis. Ex Codice vig. prohibitum est testari prodigo sine consulente; damnato ad ergastulum, vel ad poenam juribus civilibus privantem. art. 16. 425. Duae personae idem testamentum nequeunt condere art. 893. Mulieres possunt testari de dote a parentibus proveniente, etiamsi obstricta conditione: ut si filios non habeant, dos ad ipsos redeat: quod

---

quia haec lex fundatur in praesumptione periculi fraudis, aut doli: quod quidem periculum semper subsistit, etiamsi constet de voluntate testatoris.

(1) Testamentum ad causas pias sine solemnitatibus a jure requisitis confectum, valet in foro conscientiae ex cap. 1. *Relatum* de testam. Nam dispositiones juris civilis non debent praejudicium afferre causis piis.

(2) Art. 907. 911. 914.

dicitur vulgo *col patto riversivo*; quia non possunt obstringi hoc pacto, quod lex abrogavit. Ex eodem Codice potest quis testamentum condere tum titulo institutionis haeredis, tum titulo legati, aut quacumque alia denominatione sufficienti ad suam demonstrandam voluntatem art. 892. (1).

7. *Quinam possunt haeredes institui?*

Omnes a jure non prohibiti. Hinc non possunt institui Haeretici, Apostatae, Spurii, seu ex coitu damnato nati, occisor testatoris; civitates hostium, collegium non erectum publica auctoritate: dummodo non sit institutum causa pietatis (2).

At ex Codice vigent. art. 825. non possunt haeredes institui medici, pharmacopolae inservientes in ultima infirmitate, doctores consulentes testamentum, ministri Religionis in illa ultima infirmitate adhibiti, nisi sint conjuncti usque ad quartum gradum; aut donatio, sive legatum titulo remunerationis factum sit. Praeterea tutor a minore non potest institui, nisi quando minor factus sit major, et tutor reddiderit rationes gestionis tutelae art. 813. Item non possunt haeredes institui filii spurii, ince-

(1) A Codice vig. non requiritur haeredis institutio: art. 892. Hinc art. 928. dispositiones testamentariae possunt esse *universales*, aut titulo *universali*, aut titulo *particulari*: art. 929. Institutio haeredis, seu legatum universale, est dispositio, qua testator dat uni, vel pluribus omnia sua bona relicta post mortem. Art. 964. Legatum titulo universali est, quo testator quotam partem, uti esset dimidium, vel tertia pars, aut mobilia, vel immobilia bonorum suorum, de quibus potest disponere, alicui legat. Si secus, dicitur legatum titulo *particulari*.

(2) Religiosus professus potest institui haeres: ita ex Clem. *Exivi.* et sic succedit monasterium. Domus professae Societatis Jesu non possunt succedere in haereditatem quamcumque contemplatione alicujus professi; sed possunt tantum Collegia, et Domus: uti patet ex §. 6. Constit. cap. 2. Patres Ordinis Minorum, vel Cappuccinorum possunt legatum recipere, sive alicui in particulari relictum: dummodo non sit in tanta quantitate, ut videatur esse in fraudem: ex Clem. quia Legatum rei particularis est instar eleemosynae.

stuosi, et illegitimi: dummodo non sint ad legitima alimenta instituti art. 678. Filii vero illegitimi naturales, et a patre recogniti, possunt institui quoad illam partem, quae debetur eis, quando succedunt ab intestato, art. 824. ut infra. Ecclesiae, et loca pia possunt institui haeredes, vel legatarii art. 826.

8. *Quotuplicis generis sunt haeredes?*

Multiplicis generis: 1. ab intestato, et ex testamento. Ab intestato sunt illi, qui succedunt in universum jus defuncti ex legis dispositione; ex testamento sunt, qui instituuntur a testatore ex sua speciali dispositione in testamento. 2. Haeres universalis, et particularis. Universalis est, qui succedit in omnia jura, et bona defuncti; particularis, in aliqua parte haereditatis instituitur. 3. Necessarius, et non necessarius. Necessarius est, quem testator necessario debet instituere in portione legitima; non necessarius, quem testator voluntarie potest instituere: ut sunt extranei, et omnes, qui non sunt in linea recta.

9. *Quid est legitima?*

Legitima pro descendentibus est triens haereditatis (1), idest tertia pars, si filii non sint plures,

---

(1) Haereditas dividitur in duodecim partes, quae unciae appellantur; ideoque haereditatis totum nuncupatur as.

Ex Consuetudine in Neapolitana civitate, et ejus restrictu, vigente: *Si aliquis moriens* sub tit. de succ. ex testam. olim statutum erat, ut testator relinquens filios, deberet medietatem de bonis antiquis, nempe acceptis a suis consanguineis, pro filiis disponere: de alia medietate posset ad suum libitum disponere. Si vero sine filiis mortuus fuerit, poterat disponere pro medietate, et aliam medietatem debebat relinquere proximioribus in illa linea, ex qua bona profecta fuerunt. Const. *Etsi testator* sub tit. de mort. sine filiis. Hoc statutum vigebat de bonis antiquis in districtu civitatis Neapolitanae existentibus.

In Consuetudine *Si quae moriens* sub tit. de mulier. habent. filios decretum erat, ut mulier habens filios, tantum posset decimam partem dotis disponere, alias novem partes filiis deberet relinquere. Si sine filiis mortua fuerit, medietatem tantum poterat disponere, ceterum relinquere debebat

quam quatuor; semis, idest dimidium haereditatis, si filii sint plures, quam quatuor. Qui triens, aut semis aequaliter est in filios dividendus: pars autem ad unumquemque spectans est legitima illius. Pro ascendentibus vero legitima est triens haereditatis, quando desunt descendentes: et debetur parentibus, vel uni illorum superstiti; si neuter supersit, in locum patris succedunt avus, et avia paterna, et in locum matris avus, et avia materna.

At ex Codice vigente semper legitima pro descendentibus est dimidium haereditatis art. 829.; et pro ascendentibus est dimidium portionis, quae ab intestato spectaret ad ascendentes art. 831. Ideoque cum ascendentes, qui succedunt ab intestato, concurrant cum fratribus, et sororibus defuncti, pars ad eos spectans potest esse major, vel minor, prout est numerus fratrum, et sororum defuncti art. 671. (1).

Filiis naturalibus, aut legitimatis per Principis

---

agnatis, et cognatis illius lineae, a qua dos provenerat. Haec consuetudo extendebatur etiam ad bona extra districtum Neapolis existentia. Si tandem mulier ad secundas nuptias transiret, omnia sive donatione sive testamento acquisita a primo marito tenebatur relinquere filiis ex illo marito in matrimonio procreatis. Haec ultima dispositio communis erat toti Regno Neapolitano: uti testatur de Rosa in Consuet. *Si quae.*

(1) E. g. si as haereditatis esset centum aureorum, qui dividendi sunt inter patrem, et duos fratres, et unam sororem defuncti ab intestato, pars spectans ad patrem succedentem ab intestato essent viginti quinque aurei; tunc legitima patri debita essent aurei duodecim, et quinque caroleni.

Pater, et mater succedunt per capita; ideoque eadem legitima, quae spectat ad patrem, etiam ad matrem spectat. Hinc in adducta hypotesi, dato quod pater, et mater ab intestato succedant cum uno fratre, et una sorore, vel duobus fratribus defuncti, illi aurei viginti quinque debentur tam patri, quam matri; ideo aequalis legitima ad patrem spectans, etiam matri debetur, nempe aurei duodecim, et quinque caroleni art. 671. De legitima non potest fieri transactio a parentibus cum filiis, vel descendentibus; secus irrita erit, art. 836.

decretum legitima est dimidium illius partis, quam hi habuissent, si essent ex legitimo matrimonio geniti, quando tamen concurrunt cum filiis legitimis, vel ascendentibus patris naturalis. Si vero concurrant cum aliis legitimis haeredibus patris naturalis, debentur duo trientes. Si nullus alius adsit haeres, filii naturales succedunt in toto. art. 674. (1). Filiis ex incestu, ex adulterio, aliove damnato coitu, nihil debetur praeter alimenta. art. 678.

Filiis adoptivis etiam debetur legitima, etiamsi adsint filii ex legitimo matrimonio nati. art. 274. Adoptanti nulla legitima debetur a filio adoptivo: et hoc eruitur ex illo, quod in art. 275. statuitur: scilicet, patrem adoptautem nullum jus habere in bonis adoptati, nisi in illis, quae ab ipso adoptante fuerunt adoptato donata.

10. *Quinam sunt, qui succedunt ab intestato?*

Primo succedunt descendentes seu filii sive masculi, sive foeminae in aequali parte. Si vero unus filius sit praemortuus, filii istius succedunt pro patre jure repraesentationis in stirpes, non in capita. Secundo, si descendentes desint, succedunt ascendentes: scilicet parentes una cum fratribus, et sororibus defuncti germanis: defectu parentum succedunt pro eis avus, et avia (2). His non existentibus successio devolvitur ad propinquiores usque ad decimum gradum (3). Eorum defectu succedit defuncti uxor; deinde Fiscus.

At ex Codice vigente 1. succedunt descendentes, seu filii legitimi mares, et foeminae; legitimati per subsequens matrimonium, et adoptivi, in capita in aequali parte. Loco praemortui unius ex istis succedunt descendentes istius in stirpes, non in capita art. 667.

---

(1) Ex Ictorum interpretatione in hoc art. filii naturales in defectu haeredis succedunt in dimidio haereditatis.

(2) Defectu patris succedunt avus, et avia paterna; materni, defectu matris.

(3) Jure civili computatum: uti colligitur ex variis juris Romani sanctionibus.

2. Deficientibus descendentibus ascendentes seu parentes una cum fratribus, et sororibus, vel descendentes ex ipsis fratribus, et sororibus succedunt loco ipsorum. 3. Succedunt loco parentum praemortuorum ascendentes proximiores sive paterni, sive materni in capita una cum fratribus et cet. ut supra dictum est (1) art. 668. 669. 4. Fratres et sorores in capita: eorum vero defectu descendentes istorum iu stirpes; si vero tantum adsint nepotes ex fratribus, et sororibus praemortuis, succedunt in capita art. 664. 5. Avunculi, patrui, amitae, materterae, et his deficientibus, collaterales proximiores succedunt usque ad duodecim gradum, art. 673. Omnibus deficientibus succedit uxor defuncti art. 690.; deinde Fiscus art. 684. (2).

11. *Quotuplici modo potest adiri haereditas?*

Duplici modo: vel pure, vel cum beneficio Inventarii: nempe per confectionem Inventarii rerum haereditatis (3).

---

(1) Excepta dote, vel alia re donata, in qua praeferuntur illi ascendentes, a quibus res profecta est art. 670.

(2) Filii naturales succedunt matri, et etiam patri, si ab eo recogniti fuerunt, uti supradictum est; tunc etiam parentes isti succedunt his filiis, si isti praemoriantur sine filiis. At si filii hujusmodi naturales sine descendentibus moriantur post mortem parentum, omnia, quae acceperunt a parentibus, ad istorum filios legitimos transibunt; dummodo hujusmodi bona extent in specie; in aliis vero bonis succedunt fratres, et sorores naturales, art. 680., et 681.

Conjux non succedens habet jus ad alimenta ex haereditate: dummodo ista, effecta vidua, non habeat patrimonium, ex quo congrue et secundum suam conditionem vitam ducere possit art. 689. Haec alimenta non debent excedere quartam partem haereditatis, si supersint tres filii vel minus: si plures, aequalem portionem non debent excedere alimenta art. 689. et 690. Uxori semper debetur pro primo anno habitatio, et vestes luctus art. 1383.

(3) Ex jure Romano L. ult. de jure deliber. Hoc Inventarium debet fieri intra tres menses incohando a die, qua haeres delatam sibi haereditatem cognovit. Idem sancitur in Codice vigente art 712.

12. *Quaenam commoda, et privilegia haeredi obveniunt ex beneficio Inventarii?*

Sequentes: 1. ut haeres non teneatur debita solvere ultra vires haereditatis; 2. ut possit sibi detrahere *falcidiam* (1) ex legatis, quibus est aggravata haereditas; 3. ut possit solvere prius creditoribus vigilantibus; ideoque non tenetur ad regulam: *prior tempore, potior in jure*: dummodo hoc sine fraude agat; 4. ut actiones, quas habet contra defunctum, per aditionem haereditatis non confundantur: ex variis §. L. ult. cit.

Ex Codice vigente primum privilegium concordat cum illo juris Romani; secundum importat, ut haeres possit cedere bona haereditatis creditoribus, et legatariis, et ita se liberare a solutione; tertium concordat cum quarto juris Romani, art. 719. De secundo, et tertio juris Romani nulla mentio.

13. *Quibus ex causis filii possunt a parentibus exhaeredari?*

Ex pluribus causis: 1. si filius injecerit in parentes impias manus; 2. si tentaverit occidere parentes; 3. si carnaliter cognoverit novercam; 4. si patrem in vinculis detentum negaverit fidejussione liberare; 5. si filius, vel filia patrem testari prohibuerit; 6. si filia annis 25. minor recusato justo matrimonio, et dote a patre oblata, luxoriose vixerit (2). Ex codice vigente hae sunt causae: 1. si filius gravi culpa parentes offenderit; 2. si illis alimenta negaverit; 3. si patrem furiosum neglexerit; 4. si captivum non redemerit, cum potuerit; 5. si filia patre obstante meretricium fecerit, art. 848. et seq. At si filius exhaeredatus praemoriatur patri, filius hujus exhaeredati debetur legitima ex haereditate avi, art. 853. Exaeredatus, si un-

---

(1) Idest quartam partem haereditatis. Competebat etiam haeredi non necessario *falcidia*, quando legata superabant bessem seu octavam partem haereditatis; debebatur autem hujusmodi haeredi etiam *trebellianica*, seu quarta pars haereditatis, si haereditas gravabatur multis, et magnis fideicommissis excedentibus bessem.

(2) Novel. 115. cap. 5. §. 4.

de vivere non habeat, potest petere alimenta ab haereditate art. 854. Exhaeredatio debet expresse declarari coram Notario in testamento, vel actu autentico: causa autem exhaeredationis debet probari ab illo, cui portio exhaeredati cedit. art. 848. et 851. (1).

14. *Quaenam sint causae, ex quibus pater exhaeredari potest a filio?*

Sequentes: 1. Accusatio capitalis liberorum. 1. Vitae liberorum insidiatio. 3. Stupratio nurus. 4. Prohibitio testamenti. 5. Si filius captivus a patre non redimatur. 6. Si pater filios furiosos neglexerit. 7. Si parentes haeretici fuerint. 8. Si venenum pater matri; vel mater patri praebuerit (2).

---

(1) Ex eodem Codice declarantur indigni successione sequentes: 1. damnati tanquam occisores, vel aggressores vitae defuncti. 2. Crimen capitale defuncto apponentes, nempe crimen mortis, vel amissionis civitatis. 3. Cogentes defunctum ad testamentum, vel ad testandum contra propriam voluntatem, vel probibentes testari. 4. Scientes occisionem defuncti, et non denuntiantes Magistratui intra sex menses a die scientiae; dummodo sciant ipsos esse haeredes, et sint aetate majores, et Magistratus ipse non inquisierit. Excipiuntur ab hac denuntiatione ascendentes, vel affines in eodem gradu, conjux, fratres, sorores; patruus, avunculus, amita, et matertera, aut nepotes occisoris. art. 648. et 649. Indignus fit habilis ad adeundam haereditatem, quando defunctus testamento, vel actu authentico haeredem idoneum reddit art. 650. et 651.

(2) Cit. Novel.

Ex Codice vig. art. 936. potest fieri tantum substitutio vulgaris, et reciproca. Vulgaris dicitur ea, qua unus potest substitui alteri: uti si testator dicat: *instituo haeredem Cajum: si haeres vero non fuerit, vel noluerit, vel non potuerit, esto haeres Sempronius.* Reciproca autem, quando duobus vel pluribus haeredibus institutis, alter alteri substituitur: e. g. si dicat testator: *Cajus, et Sempronius haeredes sunt, et eos invicem substituo.* Aliae substitutiones nequeunt fieri tum quoad proprietatem, tum quoad usufructum; solum permittitur, ut testator in eadem dispositione instituat unum haeredem proprietatis, et alterum usufructuarium. art. 944. Substitutio fideicommissaria in aliquibus casibus tantum admittitur, nempe: 1. conceditur, ut pater,

At ex Codice vigente causae sunt: 1. Si parens filium captivum non redemerit, cum posset. 2. Si alimenta injuste negaverit. 3. Si furiosum neglexerit. 4. Si pater matri, vel mater patri venenum praebuerit, vel graves injurias fecerit. 5. Si vitae filiorum insidiaverit. art. 850.

15. *Quotuplici modo potest revocari testamentum?*

Per factum contrarium (1), vel per aliquod testamentum valide, et legitime conditum cum institutione alterius haeredis (2).

At ex Codice vigente art. 990. et 991. et seqq. expresse revocatur testamentum per aliud testamentum, vel per actum coram Notario, quo expresse declaratur mutatio voluntatis; tacite vero, per aliud testamentum contrarias prioribus dispositiones, aut incompatibiles continens, vel per alienationem rei legatae a testatore factam. Valet tantum primum te·

---

mater, et alii ascendentes, etiam patrui, amitae, sorores, fratres possint haeredi instituto alium substituere, si institutus haeres ante annos octodecim, vel sine liberis moriatur. Sed valet tantum in bonis, quorum haeredem illum instituerunt. art. 945. 2. Si pater, et mater bona, de quibus possunt libere disponere, relinquant uni vel pluribus filiis sub onere restituendi ea nepotibus, etiam nasciturís, et filiis tantum intra primum gradum, et non ultra. art. 1003. 3. Si testator filiis careat, potest de bonis liberis instituere unum vel plures haeredes ex fratribus vel sororibus cum onere restituendi haereditatem eorum filiis, etiam nasciturís; dummodo non excedant primum gradum. art. 1004. Advertendum, quod hae substitutiones valent, quando obligatio restitutionis fit in favorem omnium filiorum, qui ab haerede hoc onere gravato sunt nati, vel nascituri, nemine excepto, vel praelato, nec ratione aetatis, vel sexus. art. 1006. Si unus ex substitutis praemoriatur, ejus descendentes jure repraesentationis recipiunt portionem istius ascendentis; etiamsi alii extarent substituti in primo gradu art. 1007.

(1) Puta si testamentum scriptum laceretur, si nomen haeredis deleatur, si rumpantur sigilla, sive alia substantialis auferantur ex industria a testatore L. *si unus ex septem* de Testam.

(2) §. *Posteriore* de Instit. quibus modis testamentum infirmatur.

stamentum in iis, in quibus non fuit derogatum (1).

16. *Quaenam observanda sunt juxta Codicem vigentem in Regno Neapolitano in testamento militari?*

Testamentum militum, et exercitui addictorum conditum in expeditione militari extra Regnum utriusque Siciliae, vel in captivate apud hostes, vel in arce obsessa potest fieri coram duce, italice *Maggiore*, aut alio Superiore militari, et duobus testibus: et in casu infirmitatis, vel vulneris potest fieri etiam coram Officiali sanitario supremo una cum praefecto militari hospedalis regimini addicto. At post sex menses, ex quo testator liber est ab expeditione militari, vel obsidione nullam habet firmitatem hoc testamentum. Art. 907. et seq.

17. *Quomodo testamenta firmitatem habent ex eodem Codice in locis, in quibus impediuntur communicationes causa pestis, aut contagii?*

Quando sequenti modo conficiuntur: nempe coram judice regio illius Circumdarii, aut coram Officiali illius municipii, Italice *Comune*, et duobus testibus. At post sex menses, ex quo testator redierit in loca libera, vel impedimenta communicationis cessaverint; nullum est testamentum, nisi in forma ordinaria fiat. Art. 911. et seq.

18. *Testamenta navigantium in itinere suntne privilegiata ex ejusdem Codicis dispositione?*

Maxime, si juxta praescriptas conditiones confecta fuerint. Prima autem conditio est, ut, si fiant in navibus Regis, fiant coram praefecto navis, et ejus defectu coram illius vicem agente, una cum Of-

(1) Ex eodem Codice potest fieri caducum testamentum ex his causis art. 994. et seq. scilicet per renuntiationem, vel incapacitatem haeredis aut legatarii; per conditionem non impletam: dummodo conditio suspendat valorem actus; per mortem donatarii, vel legatarii ante mortem testatoris, aut ante eventum conditionis, sub qua fuit res disposita; per deperditionem rei legatae ante mortem testatoris, vel post ejus mortem, sed absque culpa haeredis, etsi haeres fuisset constitutus in mora ut restituat, quando apud legatarium etiam res periisset.

ficiali administrationis ; vel hujus defectu , coram Officiali partes istius adimplente. In navibus commercialibus coram scriba navis , vel ejus vicem gerente, una cum praefecto navis, vel navis domino ; et eorum defectu, coram illis, qui vicem istorum gerunt; duobus semper testibus adhibitis. Art. 914. et seq.

At testamentum praefecti navis regis , aut Officialis administrationis , debet confici coram illis officialibus , qui secundum ordinem servitii his Officialibus testantibus substituuntur. Item de testamentis praefecti navis commercialis, domini navis , et scribae. art. 915.

In hisce testamentis navigantium semper debent confici duae originales scripturae testamenti. Testamentum subscribi debet a testatore, et ab eis, coram quibus confectum sit , uti supra dictum est ; testatore nesciente vel impotente ad testamentum subscribendum , hoc debet declarari. Art. 921 , 925. Cum navis appulerit ad portum alienigenum , una de scripturis originalibus testamenti sigillo munita debet deponi apud Consulem Neapolitanum ; si vero non appulerit navis , vel ad locum appulerit , in quo Consul Neapolitanus non adsit, tunc cum navis appulerit ad aliquem Regni Neapolitani portum , duae originales scripturae ; aut una , si altera jam apud Consulem deposita fuerit, debet subsignata tradi Officiali deputationis sanitariae. Art. 916. et seq.

Testamentum supradictum non erit validum, si confectum fuerit , quando navis appulerit ad locum , ubi Officialis publicus Neapolitanae nationis aderat; quia tunc debet fieri juxta formulas ordinarias pro testamentis non privilegiatis praescriptas. Art. 920.

Sic etiam non erit validum testamentum navigantium , nisi quando testator in itinere in medio maris moriatur ; nec etiam erit validum transacto spatio trium mensium , ex quo e navi descendit , et in locum pervenit , in quo potuisset denuo conficere testamentum juxta formulas ordinarias. Art. 922.et seq.

TRACTATUS

DE SPONSALIBUS, ET DE MATRIMONIO

De Sponsalibus.

Q. 1. *Quid sunt sponsalia?*

Sunt futurarum nuptiarum mutua promissio inter personas jure habiles (1).

2. *Quaenam conditiones requirantur ad sponsalia?*

Sequentes: ut sint vera, libera, acceptata, mutua seu repromissa, et inter personas jure habiles (2).

3. *Ficte promittens sponsalia teneturne ad illa?*

Vel promittit sine animo promittendi, non tenetur; vel sine animo se obligandi, quaestio inter DD.; vel sine animo exequendi, per omnes tenetur; quia executio est quid accessorium. Semper vero ficte promittens graviter peccat; quia decipit proximum in re gravi.

---

(1) Sponsalia dicta sunt a spondendo ex Ulpiano L. *Sponsalia* 2. D. de sponsalibus. Hinc sponsa dicitur puella alteri promissa; sponsus ille, cui promittitur puella; sponsor, qui spondet dare puellam in uxorem. Sponsalia vel sunt de praesenti, quae sunt idem, ac matrimonium ratum; vel sunt de futuro, quae sunt futurarum nuptiarum mutua promissio. Possunt esse publica, et privata, seu clandestina; absoluta, et conditionata; ficta, et vera; libera, et coacta; expressa, et tacita; per se, et per procuratorem.

(2) Quando dicuntur sponsalia acceptata, intelligitur fuisse signis externis manifestata. Dicendo inter personas jure habiles, significatur aetas legitima et habilitas contrahentium a jure requisita: seu usus rationis, et absentia omnis impedimenti, sive dirimentis, sive impedientis.

4. *Qui ficte promittit matrimonium alicui puellae ad extorquendam copulam, teneturne ducere eam habita copula?*

Si puella est honestae vitae, et aequalis conditionis, tenetur: saltem ex ratione damni illati, et contractus innominati, *do ut des.* Si vero puella est honestae vitae, sed inaequalis conditionis, tenetur illam dotare, vel eidem providere de nuptiis. Si vero non est honestae vitae, tenetur tantum ad multam (1).

5. *Danturne casus, in quibus ficte promittens non tenetur ducere puellam, quamvis sit honestae vitae, et aequalis conditionis?*

Maxime: et 1. quando ex tali matrimonio sequerentur rixae, discordiae, scandala, et alia mala; 2. quando puella, vel parentes ejus nolunt; 3. quando puella finxit se esse virginem (2).

6. *Datur casus, in quo ficte promittens nec etiam tenetur ad dotem, etsi puella sit honestae vitae?*

Maxime: quando scilicet ficte promittens sit longe majoris conditionis, vel dederit aliquod evidens signum fraudis; quia tunc puella non fuit decepta, sed finxit deceptionem.

7. *Teneturne ad sponsalia, qui contrahit illa cum ignorantia obligationis sponsaliorum?*

Quaestio inter Theologos. At si intendat facere, quod alii faciunt, probabilius tenetur.

8. *Qui dubitat de sponsalibus, teneturne ad illa?*

Si dubitat de contractione sponsalium, quaestio inter Theologos Probabilistas, et Probabilioristas. Si

(1) Honestae vitae dicitur puella, quae est bonae famae, et existimationis. Omne, quod dictum est de puella, dicendum pariter de vidua.

(2) In primo casu tenetur dotare, vel providere de nuptiis. In aliis ad nihil tenetur: si enim ipsa, vel parentes nolunt; dummodo irrationabiliter contradicant, per se non stat, quominus puellam ducat: si autem puella finxit se esse virginem, tunc fictio unius alterius fictione compensatur. Alii excipiunt etiam: si ficte promittens reversus ad bonam frugem velit statum meliorem eligere.

dubitat de intentione se obligandi, per omnes tenetur.

9. *Quaenam libertas requiratur ad sponsalia?*

Libertas plena, et perfecta, quae requiritur ad peccatum grave (1).

10. *Ut sponsalia sint acceptata, requiriturne, ut signis externis manifestentur?*

Maxime; quia humano modo sunt perficienda (2).

11. *Sufficitne ad sponsalia taciturnitas?*

Minime; quia in praejudicialibus, qui tacet, nec consentire nec dissentire videtur (3). At ex jure statutum est: parentes spondentes coram filiis tacentibus, et interne consentientibus valide promittere, et acceptare sponsalia (4).

12. *Estne idem dicendum de Tutoribus, et Curatoribus quoad pupillos, et minores, et sic de fratribus quoad sorores?*

Minime (5). Nam hoc privilegium concessum est parentibus.

13. *Valentne sponsalia sub conditione inita?*

Maxime, ordinarie loquendo: prout dicendum erit de matrimonio; quia sponsalia sunt via ad matrimonium (6).

---

(1) Sponsalia inita per vim sunt nulla de jure naturae; quia deficit voluntarium. De sponsalibus celebratis per metum, dictum est in tractatu de contractibus n. 15. et 16.

(2) Multiplici modo possunt manifestari sponsalia: scilicet verbis, signis, et muneribus secundum consuetudinem locorum. At verba debent esse positiva, determinata, et indicantia voluntatem praesentem de futuro matrimonio contrahendo; proindeque non sufficiunt verba negativa, idest *non ducam aliam, nisi te*; aut propositum exprimentia, idest *statuo contrahere*, vel *vellem contrahere*.

(3) Ex regula juris 44. in 6. *Is qui.*

(4) Sive sint filii impuberes, sive puberes. Quamvis sint absentes, et accepta notitia non reclament ex cap. unico *de Desponsatione impuberum* in 6. Si vero filii non interne consenserint, tunc sunt nulla in foro conscientiae, sed valida praesumuntur sponsalia in foro externo. Si parentes spondeant pro filiis septennio minoribus, non valent sponsalia ex Cap. cit.

(5) Aliqui excipiunt casum, in quo isti spondent in manifestum commodum illorum.

(6) Vide in hoc tractatu n. 69.

14. *Quid si pendente conditione puella a sponso carnaliter cognoscatur?*

Tunc sponsalia evadunt absoluta; quia per copulam praesumitur remitti conditio (1).

15. *Contractis sponsalibus conditionatis cum una, suntne valida sponsalia absolute contracta cum altera?*

Minime: quia res uni promissa non potest alteri repromitti (2).

16. *Qui contrahit sponsalia conditionata cum duabus, quibus debet stare?*

Primis; etiamsi conditio posteriorum sponsalium prius verificetur; quia secunda fuerunt illicita, et invalida.

17. *Qui contrahit sponsalia cum una, et postea cum alia, quam carnaliter cogoscit, quibus debet stare?*

Si alteram cognoverit animo maritali, et in locis, in quibus lex Tridentini de clandestinitate non viget, debet stare secundis sponsalibus; quia sunt verum matrimonium. Secus, debet de rigore juris stare primis (3).

18. *Sponsalia inita inter ligatos aliquo impedimento sub conditione*: Si Pontifex dispenset, *suntne conditionata?*

Vel est impedimentum, quod Pontifex solet dis-

---

(1) Argumentum ex cap. 6. de conditionibus appositis: *qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, et ante conditionis eventum desponsatam cognoscit, a conditione recedit.*

(2) Et hoc, etiamsi postea non verificetur conditio. Nam quod ab initio non subsistit, tractu temporis non firmatur ex reg. juris 18. in 6. *Non firmatur.*

(3) At debet prima sponsa cedere juri suo ex charitate; dummodo grave damnum non patiatur, vel secunda non processerit in fraudem.

Si quis dicat tribus puellis: *ducam unam ex vobis*, sponsalia dicuntur incerta; non vero conditionata. Haec sponsalia sunt nulla, sed tantum obligationem inducunt determinandi personam.

Per determinationem personae sponsalia haec fiunt certa, et valida. Per copulam cum una ex determinatis praesumitur persona determinari.

pensare, sunt conditionata. Vel est impedimentum, quod Pontifex non solet dispensare, aut desit justa causa dispensationis, sunt nulla sponsalia; quia non possunt suum effectum sortiri.

19. *In Sponsalibus requiriturne mutua promissio, seu repromissio, ut valeant?*

Maxime. Hoc enim exigit hujusmodi contractus, qui in jure proprie nominatur *repromissio*. At si promittens intendat se obligare sine alterius repromissione, tunc valent sponsalia tantum ex vi simplicis promissionis (1).

20. *Quaenam aetas requiratur ad sponsalia?*

Illa aetas, in qua habetur usus rationis, qui solet apparere circa septennium.

21. *Suntne valida sponsalia impuberum?*

Partim sunt rata, partim suspensa. Rata, quia pariunt impedimentum publicae honestatis (2); suspensa, quia adepta pubertate pubes potest a sponsalibus resilire (3).

22. *Quodnam tempus conceditur puberi, ut adepta pubertate possit a sponsalibus resilire?*

Triduum a die scientiae adeptae pubertatis (4).

23. *Unus impubes adepta pubertate potestne resilire a sponsalibus, an teneatur expectare, donec alter ad pubertatem perveniat?*

Potest a sponsalibus resilire, nec expectare tenetur; quia hoc privilegium concessum est per triduum. Potest autem, etiamsi alter contradicat (5). At non possunt in impubertate dissolvi sponsalia, ne mutuo quidem consensu.

---

(1) Si vero ignoret requiri repromissionem, et intendat contrahere per solam mutuam acceptationem, improbabiliter dicuntur secundum aliquos Theologos contrahere vera sponsalia. Tunc enim sponsalia non essent amplius contractus onerosus, sicut eorum natura exigit.

(2) Cap. *Litteras* de Desponsat. Impube.

(3) Cap. *De illis* 7. cit. tit.

(4) L. *Cum specialis* C. de Judic. In quo habetur particula *illico* scilicet, *intra triduum proximum*.

(5) Ex citato Cap. *De illis*.

24. *Si pubes cum impubere contraxerit sponsalia, potestne resilire?*

Minime; quia hoc privilegium impuberibus datum est.

25. *Danturne casus, in quibus impuberes acquisita pubertate non possunt resilire?*

Maxime: 1. si carnaliter se cognoverint; 2. si proximi pubertati juramento sponsalia firmaverint (1).

26. *Estne necessarius parentum consensus ad valorem sponsalium?*

Minime ex Trid. (2). At peccant filii sine justa causa sic contrahentes.

27. *Peccantne parentes, si filios impediant ne contrahant sponsalia, vel a contractis amoveant?*

Si sine justa, et rationabili causa hoc faciunt, peccant.

28. *Requiriturne ad valorem sponsalium praesentia Parochi, et testium?*

Minime ex Tridentino; quia id tantum in matrimonio requiritur.

29. *Quinam sunt effectus sponsaliorum?*

Sequentes: gravis obligatio contrahendi matrimonium ex justitia; et impedimentum publicae honestatis (3).

30. *Quibus ex causis possunt dissolvi sponsalia?*

Ex pluribus causis: nempe per mutuum consensum; per votum, idest per professionem religiosam, vel per susceptionem Ordinis sacri; per matrimonium subsequens; per lapsum temporis; per discessum in longinqua; per impedimentum dirimens superveniens; et per notabilem mutationem in pejus (4).

---

(1) Cap. *A Nobis*, et L. 3. *Puberes* de Desp. Impub. In secundo casu non omnes conveniunt DD.

(2) Sessione 24. Cap. I. De Reformatione Matrim.

(3) Secundum aliquos Theologos etiam jus inchoatum ad corpus. Hinc ex sententia istorum DD., si sponsi fornicati fuerint cum alia persona, debent hoc exprimere in Confessione; quia juxta eorum sententiam peccant etiam contra jus alterius sponsi.

(4) Sponsalia possunt esse nulla ratione aliorum sponsa-

31. *Dissolvunturne sponsalia per simplicem ingressum in Religionem?*

Ex parte remanentis in saeculo dissolvuntur; quia ingrediens cessit juri suo. Non autem ex parte ingredientis, ne locus daretur fraudibus.

32. *Peccatne, qui post contracta sponsalia monasterium ingreditur, aut suscipit sacros Ordines?*

Minime; quia in promissione sponsalitia habetur insita conditio: *nisi ad meliorem statum transiero.*

33. *Danturne casus, in quibus non potest sponsus Religionem ingredi?*

Maxime: 1. quando procreati sunt filii, qui sunt legitimandi; 2. quando est consulendum famae puellae, vel familiae: tunc enim tenetur matrimonium contrahere.

34. *Dissolvunturne sponsalia per simplex votum castitatis?*

Si votum est emissum ante contractionem sponsalium, sunt nulla sponsalia. Si post contractionem, quaestio inter DD. (1).

35. *Per subsequens matrimonium dissolvunturne sponsalia?*

Maxime (2); quia vinculum fortius dissolvit minus forte. At ex parte innocentis certum est sponsalia extingui. Utrum autem ex parte etiam delinquentis, quaestio inter Theologos.

36. *Quandonam sponsalia dissolvantur per lapsum temporis?*

Quando tempus est appositum ad finiendam obligationem. Si vero est appositum ad sollicitandam obli-

---

lium rite contractorum; defectu consensus; et ob impedimentum existens.

(1) Aliqui cum D. Antonino asserunt non dissolvi; quia res, quae est uni promissa ex regula 18. juris in 6., non potest alteri repromitti; nec Deus videtur acceptare talem promissionem. Alii ex Divo Thoma in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. dicunt dissolvi; qui in contractione sponsalium semper adesse concipitur insita conditio: *nisi ad meliorem statum transiero.*

(2) Ex Cap. 31. *Si inter.* de Sponsalibus.

gationem, sponsalia obligant; et tempore praefixo debet matrimonium contrahi.

37. *Per qualem discessum in longinqua dissolvuntur sponsalia?*

Vel discessus fuit de licentia alterius compartis, non dissolvuntur. Vel sine licentia, et sine justa causa, statim dissolvuntur ex parte remanentis. Vel sine licentia, sed ex justa causa, tunc tenetur remanens expectare biennium, si discessus sit intra provinciam seu regnum, triennium, si extra (1).

38. *Dissolvunturne sponsalia per impedimentum dirimens superveniens?*

Maxime ex parte innocentis; quia fiunt de re illicita, et a jure impossibilia.

39. *Quaenam notabilis mutatio in pejus requiratur, ut possint sponsalia dissolvi?*

Delictum contra castitatem, aut bonos mores, aut decorem; vel gravis morbus, aut defectus corporis notabilis; vel etiam periculum scandali, aut exitus mali, qui sequeretur (2). Dissolvuntur quidem sponsalia; quia si res talis fuisset a principio cognita, non essent contracta sponsalia.

40. *Fornicatio patrata ab uno sponsorum cum alia persona post contracta sponsalia estne causa dissolvendi sponsalia?*

Maxime ex parte innocentis. Et hoc, etsi sponsa fuerit vi oppressa ab alio; semper enim habetur notabilis mutatio in pejus.

41. *Quid si ambo sponsi sint fornicati cum aliis?*

Quaestio inter Doctores (3).

42. *Sufficiuntne ad mutationem notabilem in pejus oscula, tactus, etc.?*

---

(1) At vero hoc tempus potest definiri a judice Ecclesiastico; praesertim si aliqua rationabilis causa adsit: uti esset periculum incontinentiae, vel alia urgens circumstantia.

(2) Ex cap. 7. de spons.: ex Antoine de spons. cap. 1. n. 9.

(3) Aliqui dicunt posse dissolvi, et hoc videtur probabilius; quia semper mulier fit longe vilior per fornicationem, quam vir. Alii dicunt injuria injuriam compensari.

Maxime: si habeantur ex parte sponsae; quia hisce fit vilior foemina. Quod si habeantur ex parte viri frequentes, et valde turpes, etiam sufficiunt; quia fundata inde oritur suspicio de fide in matrimonio.

43. *Ad dissolvenda sponsalia per unam ex supradictis causis requiriturne auctoritas judicis Ecclesiastici?*

Si sponsalia fuerunt privata, non requiritur. Si fuerunt publica, et delictum non moraliter certum, vel occultum, requiritur (1).

44. *Pactum lucrativum in sponsalibus estne licitum* (2)?

Minime; quia esset contra bonos mores, vel proveniens ex turpi quaestu (3). Attamen licitum est, et validum, quando cessat praesumptio turpitudinis, nempe in hisce casibus: si aliquid promittitur ratione dotis; donationis ob nuptias; ad tollendam inaequalitatem; et quando a tertia persona promittitur (4).

45. *Num sit licita poena conventionalis apposita sponsalibus* (5)?

Vel est apposita contra simpliciter resilientes, est illicita, et invalida; utpote contra matrimonii libertatem (6). Vel est apposita contra injuste resilientes, est valida, et licita secundum communiorem sententiam; quia est in favorem matrimonii, nec alicui juri opponitur.

---

(1) At quando sunt sponsalia publica, etiamsi delictum fuerit publicum, requiritur semper auctoritas judicis Ecclesiastici ad tollendum scandalum.

(2) Pactum lucrativum est, quando unus de contrahentibus obligat alterum ad aliquid dandum, si cum eo voluerit contrahere matrimonium: ut expresse dicitur in L. *Si ita stipulatur* 97. §. *Si tibi* D. de Verb. Oblig. *Si tibi nupsero, decem dare spondes.*

(3) Abbas in cap. *Gemma mulier* 29. de sponsalibus n.6.

(4) L. *Titiae* D. de cond. et demonstrat.; et Abbas in cap. *Cum in Ecclesiae* de Simon. n. 3.

(5) Poena conventionalis est, quando statuitur poena si non contrahatur matrimonium: sicut est dicere: *Si non contraxeris mecum, centum solvas.*

(6) Ex Cap. citato *Gemma.*

46. *Quid sunt arrhae, et anne sint licitae inter sponsos?*

Arrhae sunt quidquid datur in pignus futuri matrimonii. Sunt quidem licitae, utpote favorabiles matrimonio.

47. *Cuinam cedent arrhae?*

Celebrato matrimonio cedunt tradenti. Si matrimonium non celebratur, tunc si culpa tradentis id accidat, cedunt recipienti; si culpa recipientis, iste tenetur ad duplum; dummodo non sit minor (1).

48. *Suntne licitae donationes inter sponsos, et eas quis acquirat?*

Donationes inter sponsos licitae sunt; quia non opponuntur libertati matrimonii. Illas autem acquirit donatarius secuto, et consummato matrimonio: quod si matrimonium non sequatur, tunc ille amittit, cujus culpa matrimonium non sequitur. At si absque culpa utriusque accidit, ut matrimonium non sequatur, donanti totum est restituendum; pro medietate vero, si oscula, tactus etc. intercesserint (2).

49. *Inciduntne sponsi in aliquam poenam, si copulam habeant inter se?*

In Dioecesi Neapolitana incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam.

50. *Quid requiritur, ut sponsi hoc crimen perpetrantes incidant in casum?*

Requiritur, ut sint veri sponsi: ideoque sponsalia debent esse certa, valida, et absoluta, etiamsi sint privata; et ut habeant copulam naturalem, et perfectam (3).

51. *Quinam alii in hoc casu comprehendantur?*

Parentes, consanguinei, affines, et quicumque habentes curam domus, si permittant hujusmodi co-

---

(1) L. *Mulier* §. 4. C. de Sponsalibus. Ad duplum tenetur recipiens post sententiam judicis.

(2) Hoc intelligitur quoad mulierem. L. *Si a Sponso* loc. cit.

(3) Si sponsi sint impuberes, etsi habeant copulam carnalem perfectam, non incidunt in casum; quia nondum expleverunt aetatem a Casu requisitam, nempe 14. annorum.

pulam, aut cohabitationem, vel pernoctationem sponsorum, etiam pro prima vice, in eandem excommunicationem incidunt. At alteruter sponsorum habens curam domus suae minime in hunc casum incidit, si permittat pernoctationem, vel cohabitationem; dummodo copulam non habeant inter se.

52. *Quid veniat nomine pernoctationis, et cohabitationis?*

Nomine pernoctationis venit commoratio sponsorum in eadem domo per totam noctem (1). Cohabitatio autem tunc habetur, quando prudenti judicio domus sponsi, et sponsae censetur unum domicilium, animo permanendi (2).

De Matrimonio.

53. *Quid est matrimonium* (3)?

Matrimonium dupliciter accipi potest: uti contractus, et uti Sacramentum. Uti contractus est conjunctio maritalis viri, ac mulieris inter personas legitimas, individuam vitae consuetudinem retinentes. Uti Sacramentum est signum sensibile gratiae collatae viro, ac mulieri legitimo consensu copulatis, ad perpetuam vitae consuetudinem retinendam.

54. *Quotuplex est matrimonium?*

Triplex est: legitimum, ratum, et consummatum. Legitimum est illud, quod secundum leges tantum contrahitur; et habet locum inter Infideles. Ratum est, quod habet rationem Sacramenti, et locum habet inter Fideles. Consummatum denique est, quod copula carnali perficitur; quod quidem legitimum, et ratum attingit.

---

(1) Ex L. *Urbana* 166. §. de Verb. signific.

(2) Scilicet quando satis est ad verum, vel quasi domicilium constituendum. Ex L. *Cives* 7. C. de Incolis. Nomine permittentis intelligitur, qui curam domus habens potest impedire, et non impedit.

(3) Hoc nomen venit a matris munio, sive munere; quia foemina per matrimonium debet fieri mater; quod est proprie finis matrimonii ex D. Aug. contra Faustum lib. 19.

55. *Matrimonium estne unum de septem novae legis Sacramentis?*

Maxime, et est de fide: uti patet ex Trid. (1).

56. *Quaenam est materia, et forma hujus Sacramenti?*

In hoc non conveniunt Doctores. Aliqui sentiunt, materiam remotam esse corpora conjugum mutuo tradenda, materiam proximam ipsam legitimam corporum traditionem; formam autem dicunt esse consensum per verba, aut per alia signa expressum. Alii tenent, materiam remotam esse corpora tradenda; proximam consensum traditionem corporum exprimentem; formam autem verba Sacerdotis nuptias benedicentis.

57. *Quinam est minister hujus Sacramenti?*

Ex prima sententia sunt ipsi contrahentes; ex secunda sententia est Sacerdos benedicens nuptias (2).

58. *Requiriturne Parochus ad matrimonii validitatem?*

Ex Tridentino requiritur Parochus assistens, ut testis auctorizabilis (3).

59. *Requiriturne ad validitatem matrimonii consensus Parentum?*

Minime: uti eruitur ex Trid. sess. cit.

60. *Quaenam requirantur ad valide matrimonium contrahendum?*

Mutuus consensus, et legitima habilitas personarum (4).

---

(1) Sess. 24. de Matrimonio can. 24. *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Evangelicae legis Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre anathema sit.*

(2) Hoc nondum est ab Ecclesia definitum; ideoque Theologi primi quidem subsellii hinc illinc pro viribus desudant. Vide Juveninum de Sacram., D. Ligorium etc.

(3) Hoc requiritur ad validitatem Matrimonii in illis locis, in quibus hoc decretum Tridentini est receptum; in aliis locis tantum ad legitimitatem requiritur ex aliis anterioribus Ecclesiae statutis.

(4) Legitima habilitas personarum secum fert aetatem

61. *Qualis debeat esse consensus requisitus ad matrimonium?*

Debet esse verus, plene deliberatus, liber, mutuus, externus, et de praesenti (1).

62. *Estne de essentia Sacramenti consensum verbis exprimi?*

Minime; sed sufficit quodcumque signum consensum exprimens (2).

63. *Taciturnitas sufficitne?*

Minime: quia in praejudicialibus, et onerosis, qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur.

64. *Quid si parentes coram puella tacente, sed interne consentiente dant consensum ad matrimonii contractionem?*

Quaestio inter Theologos. At communius valet matrimonium; quia quod de sponsalibus est statutum, a Theologis rationabiliter ad matrimonium extenditur.

65. *Num sit validum Matrimonium celebratum per procuratorem?*

Maxime: concurrentibus aliquibus conditionibus. Nam Christus Dominus elevans matrimonium ad rationem Sacramenti, non immutavit ejus naturam; ideoque, sicut potest contractus per procuratorem iniri, sic matrimonium.

66. *Quaenam sunt conditiones requisitae, ut matrimonium per procuratorem celebratum sit validum?*

Sequentes: ut procurator habeat speciale man-

---

legitimam, seu pubertatem; praesentiam proprii Parochi, et testium, ubi viget lex Trid.; et absentiam omnis impedimenti dirimentis; et ad licitam contractionem, etiam absentiam impedimenti impedientis.

(1) Qui sine vero consensu contrahit matrimonium, peccat contra Religionem ob nullitatem Sacramenti; contra justitiam ob deceptionem alterius Partis in re gravi, et tenetur apponere verum consensum in casibus non exceptis: idest quando consensus non fuit extortus per vim, aut per metum.

(2) Ex cap. 23. *Cum apud sedem*. De Sponsal., ubi statuitur Matrimonium a mutis, et surdis celebratum esse validum. An peccent, qui, cum possint loqui, verbis consensum non exprimunt, non conveniunt DD.

datum ad contrahendum matrimonium: ut mandatum sit de determinata persona; ut procurator non possit alium substituere, nisi de expressa licentia mandantis; ut mandatum non fuerit revocatum ante contractionem matrimonii, etiamsi revocatio non innotuerit mandatario; et ut procurator non excedat fines mandati (1).

67. *Potestne Parochus assistere matrimonio per procuratorem celebrato?*

In Dioecesi Neapolitana, ut licite hujusmodi matrimonium celebretur, debet causa contrahendi per procuratorem cognosci, et approbari ab Ordinario. Sine hoc Parochus matrimonio huic assistens incidit in suspensionem ferendae sententiae ab administrandis Sacramentis, et in alias poenas arbitrio Ordinarii (2).

68. *Valetne matrimonium per procuratorem celebratum, si ante contractionem mandans fiat amens?*

Litigium inter DD. At juxta graviores Theologos minime valere videtur; quia deest consensus actualis; siquidem mandans naturaliter est incapax consensus in actu matrimonii.

69. *Valetne matrimonium sub conditione celebratum?*

Si conditio est impropria, valet matrimonium a principio, stante veritate conditionis. Si conditio est propria honesta et possibilis, valet adveniente conditione; et interea remanet suspensus consensus. Si vero conditio est turpis vel impossibilis, rejicitur a jure, et matrimonium valet a principio: dummodo haec conditio (verificanda post matrimonium) non opponatur tribus bonis substantialibus matrimonii, nempe, aut bono prolis, aut fidei, aut Sacramenti (3); vel non apponatur serio, seu uti conditio si-

(1) Ut non excedat fines mandati circa substantiam, vel circa qualitates redundantes in substantiam, vel in pacta deductas. Id totum cautum est jure in Cap. 4. *Procurator* de Procuratorib. in 6. Matrimonium per procuratorem celebratum habet revera rationem Sacramenti. Mandans tantum, non autem procurator, peccat graviter, si non sit in statu gratiae, dum contrahitur matrimonium a procuratore.

(2) Ex Synodo Pignatelli p. 2. c. 9. n. 14.

(3) Bonum prolis, idest susceptio et naturalis educatio

ne qua non; quia tunc matrimonium penitus non valet (1).

70. *Requiriturne, ut haec conditio tribus bonis substantialibus matrimonii opposita sit expressa, et deducta in pactum, an sufficiat mente retineri?*

Si est contra bonum Sacramenti sufficit, ut mente retineatur; quia eo ipso, quod haec conditio mente retineatur, non habetur consensus ad verum matrimonium. Si est contra bonum fidei, prolis, debet in pactum deduci; quia matrimonium verum potest haberi sine fidelitate, et prole (2).

71. *Qui sub conditione celebrat matrimonium cum duabus, cum quanam valet matrimonium?*

Si conditio adimpleatur successive; cum illa valet matrimonium, pro qua prius adimpletur conditio (3). Si vero simul adimpleantur conditiones, aut sub eadem conditione sit celebratum matrimonium, tunc neutrum valet; quia incertitudo vitiat actum (4).

---

prolis; bonum fidei; idest fidelitas servanda in matrimonio, et incommunicabilitas corporum cum alio, durante vinculo matrimonii; bonum Sacramenti, idest indissolubilitas contractus matrimonii.

(1) Uti constat. ex cap. *Si conditiones* 7. de condit. appos. Vide Consalez, in citato capite.

Bona minus principalia matrimonii, seu accidentalia, sunt: remedium incontinentiae; amor mutuus inter conjuges; communis adsistentia, et cet.

(2) Ex D. Thoma requiritur expressio conditionis; etiam quia ex altera parte debet adimpleri haec conditio. Adverte: quod matrimonium celebratum cum intentione numquam utendi eo, vel non petendi, vel non reddendi, est validum. At si deducatur expresse in pactum, idest obligando alteram partem ad non petendum, vel paciscendo, se numquam teneri ad reddendum, tunc est nullum matrimonium; siquidem contra naturam contractus celebratur: ita communiter cum D. Thom. contra paucos.

(3) Apud Laymann lib. 5. tract. x. p. 2. c. 7. n. 7. uti docet Abbas in cap. *Super eo*, et cap. *Per tuas litteras* de condit. appos.

(4) Sanchez uti ex cap. *Ex litteris* 10. de Sponsalibus, et Matrim. Qui contrahit matrimonium sub conditione sine gravi, et rationabili causa, peccat; quia injuriam affert Sa-

72. *Matrimonium sub adjectione temporis celebratum valetne?*

Si apponatur tempus pro duratione matrimonii, est nullum; quia contra matrimonii substantiam. Si tempus apponatur pro designatione temporis, quo vult quis obligari, validum est matrimonium.

73. *Matrimonium sub causa motiva non subsistente celebratum estne validum?*

Est validum: cum non desit causa motiva essentialis matrimonii; quia quacumque alia causa cessante, substantia contractus non destruitur. At si haec causa apponatur uti conditio *sine qua non*, tunc quia deficit consensus, matrimonium est nullum.

74. *Matrimonium estne indissolubile?*

Omne matrimonium est indissolubile ex Trid. sess. 24. de Reform. Matrim.; et patet etiam ex verbis Christi; *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Matthaei, cap. 19.

75. *Matrimonium legitimum potestne aliquando dissolvi?*

Maxime: per conversionem unius conjugis ad fidem (1).

---

cramento. Adverte: quod si dubitetur, utrum sit vera conditio, an modus; uti modus potius, quam uti conditio accipi debet, in favorem matrimonii. Ita Laymann.

Verificata conditione, an requiratur novus consensus, magna quaestio adest. At cum de materia agatur Sacramenti, videtur novus requiri consensus. Vide apud Fulco de Matrim. p. 322. in Tom. 4. in quo citantur auctores.

Hinc etiam valet matrimonium pure sub modo celebratum, etiamsi modus sit turpis, et impossibilis; dummodo hic modus non sit oppositus tribus bonis substantialibus matrimonii; quia tunc contrahens non habet verum animum contrahendi.

(1) Ex doctrina Pauli Apost. 1. ad Corinth. 7. promulgante privilegium fidelibus concessum a Christo Domino: *Quod si Infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, etc.:* qua doctrina innititur caput *Quanto* 7. de Divortio. Requiritur semper ex praecepto Divino, ut Pars infidelis interpelletur, an velit se convertere ad fidem. In urgenti necessitate ab hujus-

76. *In quibus casibus per conversionem unius conjugis ad fidem potest dissolvi matrimonium?*

In sequentibus casibus: quando Infidelis non vult cohabitare cum converso ex eo, quod factus est fidelis; quando Infidelis vult habitare, sed cum injuria Creatoris; quando vult habitare, sed provocat Partem conversam ad peccatum mortale; denique per dispensationem Summi Pontificis (1).

77. *Dissolviturne statim matrimonium in hisce casibus?*

Minime, sed quando pars conversa assumit statum perpetuum, nempe vel contrahit aliud matrimonium, vel profitetur Religionem (2).

---

modi Divino praecepto potest dispensare Summus Pontifex: declarando scilicet, concurrentibus aliquibus urgentibus circumstantiis, praeceptum Divinum non amplius obligare: cui sententiae adhaesit S. C. Congregatio in decret. 17. Jan. 1722. Vide Bened. XIV. De Synodo Dioecesana lib. 6. cap. 4. n. 3. At si ambo conjuges convertantur ad fidem, matrimonium non solvitur, immo secundum communiorem sententiam per Baptismum fit ratum, et habet rationem Sacramenti. Ex quo clare colligitur, matrimonium inter Infideles esse validum, si habeantur omnia requisita ad verum contractum juxta jus loci.

(1) Secundum probabiliorem sententiam in praesenti semper potest, imo tenetur, Infidelis conversus relinquere Partem infidelem, si nolit se ad fidem convertere, ob periculum subversionis. Apud Sanchez L. 7. D. 37. n. 12. et D. Lig. lib. 6. n. 957.

(2) Ex cap. citato. *Quanto*: qua doctrina innixa S. C. Congregatio decisit in casu, qui contigit Florentiae anno 1726. inter virum Haebreum, et uxorem ad fidem conversam: apud Bened. XIV. de Synod. Dioce. cit. loco contra DD. asserentes matrimonium legitimum per conversionem alterutrius conjugis ad fidem statim dissolvi, antequam conversus assumat statum perpetuum.

Filii, qui procreati sunt in infidelitate, sunt Parti conversae tradendi; si sint doli capaces, proprio arbitrio sunt relinquendi. Can. *Judaei* 10. caus. 28. q. 1.

Si Pars conversa habeat plures uxores, et istae omnes cum viro convertantur; prima retinenda, aliis relictis. Ex Cap. *Gaudemus* 8. de Divortio.

78. *Potestne matrimonium ratum dissolvi in aliquo casu ?*

Maxime: per professionem Religiosam (1); et per dispensationem Summi Pontificis (2).

79. *Matrimonium ratum consummatum potestne aliquando dissolvi ?*

Minime ; et constat ex perpetua Ecclesiae traditione: quod expresse declaravit Tridentinum sess. 24. de matrimonio can. 5.

80. *Qua ratione matrimonium ratum potest dissolvi, et non matrimonium ratum consummatum ?*

Quia matrimonium ratum significat unionem Christi cum anima fideli per gratiam , quae non est indissolubilis , immo amittitur per peccatum mortale; matrimonium ratum consummatum significat unionem Christi cum sua Ecclesia per assumptam humanitatem , quae est indissolubilis (3).

De Divortio.

81. *Potestne fieri divortium remanente vinculo matrimonii ?*

Maxime ; uti constat ex Trid. sess. cit. can. 8.

82. *Quotuplici modo fieri possit hoc divortium ?*

Divortium , ut hic accipitur , est legitima separatio conjugum , quae triplici modo fieri potest : vel quoad torum , vel quoad habitationem , vel quoad torum , et habitationem. Potest autem esse perpetuum , et temporale.

83. *Quinam est effectus hujusmodi divortii ?*

Est , quod pars innocens potest assumere statum

---

(1) Ex cap. *Verum* de Convers. Conju. , ex can. 6. Trid. sess. 24. de Reformatione Matrim.

(2) Uti patet ex dispensatione facta a Martino V. , ab Eugenio IV. teste D. Antonino ; a Pio II. et IV. teste Navarro ; et a Clemente VIII. , et Urbano VIII. teste Conrado.

(3) Ut videre est in cap. *Debitum* de Bigamis non ordinandis.

perpetuum, nempe aut profiteri Religionem, aut suscipere sacros Ordines (1).

84. *Quotuplici ex capite fieri possit divortium?*
Vel amore virtutis, vel causa delicti.

85. *Quid requiritur, ut fiat divortium amore virtutis?*
Ut adsit mutuus consensus; ut desit periculum incontinentiae; et ut fiat amore virtutis (2).

86. *Ex quibus delictis fieri possit divortium?*
Ex delicto adulterii fieri potest divortium perpetuum (3); potest autem fieri temporale ex delicto haeresis, ex nimia saevitia conjugis, et periculo animae, vel corporis. Hujusmodi vero jus est viro, et uxori competens.

87. *Conjux innocens teneturne facere divortium?*
Non tenetur, nisi in sequentibus casibus: 1. quando divortium est necessarium pro salute spirituali delinquentis; 2. quando est necessarium ad tollendum scandalum; 3. quando est necessarium ad evitandam injuriam, vel periculum damni alterius (4).

88. *Danturne casus, in quibus innocens non potest divortium instituere?*
Maxime: 1. quando uterque conjux adulterium commisit; 2. quando adulterium fuit materiale tantum; 3. quando alter conjux fuit causa adulterii; 4. quando conjux innocens expresse, vel tacite condonavit.

89. *Qua auctoritate fieri debeat divortium?*
Si delictum est occultum, debet fieri auctoritate

---

(1) Hoc est permissum, quando divortium est perpetuum, et quando est temporale auctoritate Ecclesiae factum ob crimen haeresis. Ex cap. *De illa* 6. de Divortio.

(2) Idest non ex aemulatione, vel contentione, sed ut Deo liberius, et sine impedimento serviatur.

(3) Nomine adulterii intelligitur quicumque concubitus consummatus cum altero supposito. Vide apud Fulco de Matrim. p. 327. Tom. 4.

(4) Hic ultimus casus non ab omnibus admittitur. Aliqui etiam addunt: quando conjux emisit votum simplex castitatis.

publica, quoad habitationem; secus potest fieri auctoritate privata (1).

90. *Facto divortio perpetuo Pars nocens potestne assumere statum perpetuum?*

Potest tantum in sequentibus casibus: scilicet, quando innocens jam assumpsit statum perpetuum; quando habuit licentiam ab innocente; quando Pars delinquens emendata semel, atque iterum veniam petiit, et innocens recusavit (2).

De Dubio Conjugali.

91. *Tenenturne conjuges simul habitare?*

Maxime; et de jure Divino: *et erunt duo in carne una.* Gen. 2.; et ex ipsa essentia contractus ad individuam vitae consuetudinem obligante. Secus enim nec reddere nec petere possent conjuges ad finem matrimonii perficiendum.

92. *Conjux teneturne reddere debitum alteri conjugi petenti, et quando?*

Maxime sub gravi: quando alter petit serio, instanter, et rationabiliter (3); nisi adsit justa causa denegandi.

93. *Actus conjugales exerciti debitis circumstantiis suntne meritorii?*

Maxime: quando fine, modo, loco, et tempore

---

(1) Ex cap. *Significasti* 4. de Divortio.

(2) Ex citato cap. *Gaudemus* de divortio. Filii facto divortio debent remanere apud innocentem. Si innocens sit infidelis, vel alia ratio contrarium suadeat, judicio prudentum, vel Episcopi determinandum est. Dos etiam debet restitui; si ex licita causa factum fuerit divortium. Cap. *Mulieris* de donat. inter virum, et uxorem; si ex delicto adulterii ab uxore patrato, non debet ex Cap. *Plerumque* eodem titulo. At ex Codice vigente art. 288. si divortium factum fuerit ex delicto viri, fructus dotis sunt uxoria; si ex delicto uxoris, tantum ei debentur alimenta.

(3) Sive verbis expressis, sive signis, tactibus, etc. Et hoc praeceptum patet ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 7.: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro.*

debito exerceniur. Nam sunt actus virtutis justitiae, et ordinati ad bonum commune, seu propagationem generis humani.

94. *Ob quem finem licite possunt exerceri actus conjugales?*

Primario ob generationem; secundario ad evitandam incontinentiam; et ad debitum conjugale reddendum. Hinc isti actus exerciti ob solam voluptatem non carent culpa: uti constat ex prop. damnata ab Innocentio XI. (1).

95. *Quandonam conjux non tenetur debitum reddere?*

Quando adest periculum salutis corporis; quando petitur in amentia, vel in ebrietate; quando immoderate, ac nimis frequenter petitur; quando petitur modo, tempore, loco indebito; quando petens non habet jus; denique quando petitur intra bimestre post contractionem matrimonii nondum consummati (2).

96. *In quibus casibus conjux non potest debitum petere?*

In sequentibus: scilicet, quando habet votum castitatis; quando non habet jus petendi (3); et quan-

---

(1) Prop. 9. ***Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni caret culpa, ac defectu veniali.***

(2) Secundum communem sententiam fundatam in Capite *Ex Publico* 7. de conversione conjugatorum. Intra bimestre a matrimonii contractione nondum consummati conjuges habent privilegium ab Ecclesia concessum, ut possint, si velint, profiteri Religionem, et dissolvere matrimonium non consummatum: Cap. supracitato. Hoc privilegium possidetur ab uxore, etiamsi per vim intra bimestre fuerit cognita; quae proinde non privatur jure ingrediendi religionem, et profitendi: uti docent DD. ex cap. *Verum* 2. titulo supracitato: Sanchez de Matr. L. 2. D. 22. n. 6. At non solvitur matrimonium. Ingredi autem religionem etiam possunt conjuges, et sic per professionem religiosam matrimonium dissolvere, si elapso bimestri nondum matrimonium fuerit consummatum: ex cap. *Verum*: quia nondum facti sunt una caro.

(3) Vel quia tempore matrimonii culpabiliter cognovit consanguineum alterius compartis in primo, aut secundo gra-

do dubitat de valore matrimonii (1).

De impedimentis matrimonii.

97. *Quid est impedimentum matrimonii?*
Est quoddam vinculum, quod dirimit, vel impedit matrimonium.

98. *Quotuplicis generis sunt haec impedimenta?*
Duplicis generis sunt: alia impedientia, quae matrimonium impediunt tantum, seu illicitum reddunt; alia dirimentia, quae dirimunt, seu nullum reddunt matrimonium.

99. *Quaenam sint impedimenta impedientia?*
Sunt, quae continentur in hoc versiculo:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

100. *Quid venit nomine* sacrati temporis, et vetiti?
Nomine *sacrati temporis* venit tempus, in quo prohibentur solemnitates nuptiarum: quod incipit a prima Dominica Adventus usque ad diem Epiphaniae inclusive, et a die Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive. Nomine *vetiti* intelligitur prohibitio contrahendi matrimonium generaliter, aut peculiariter facta ab Ecclesia, vel ab Episcopo, vel a Parocho.

101. *Quid sibi velit vox* sponsalia?
Quando sponsalia sunt cum una rite contracta impediunt ad licite matrimonium contrahendum cum alia persona, nisi prius solutis sponsalibus (2).

---

du; vel quia extra casum necessitatis suam prolem baptizavit, vel tenuit in Baptismo, aut in Confirmatione; tunc enim privatur jure petendi ob affinitatem cum altera comparte contractam.

(1) Hoc intelligunt Probabilistae de dubio antecedenti. Advertendum est, quod sit quaestio inter DD.: utrum liceat petere tempore menstrui, aut gestationis, aut puerperii. At aliqui non excusant a culpa veniali.

(2) Sponsalia possunt esse impedimentum dirimens, quando inducunt impedimentum publicae honestatis, de quo infra dicetur.

102. *Quodnam votum matrimonium impediat?*

Omne votum simplex castitatis, aut ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros Ordines, aut non nubendi.

103. *Qui ligatus uno ex hisce votis contrahit matrimonium, peccatne contrahendo, peccatne petendo, vel reddendo, et an teneatur deinceps ad votum?*

Ligatus voto castitatis peccat contrahendo, et pro prima vice reddendo intra bimestre; et semper peccat petendo (1). Ligatus voto ingrediendi religionem peccat pro prima vice consummando matrimonium; quia fit impos ad ingrediendum religionem. Ligatus voto suscipiendi sacros Ordines, vel non nubendi, peccat contrahendo matrimonium; at potest postea petere, et reddere (2). Semper reviviscit votum mortua conjuge, vel facto divortio perpetuo; ita ut vovens hisce in casibus ad illud teneatur.

104. *Quisnam possit dispensare in hisce impedimentis impedientibus?*

Episcopus in illis impedimentis *sacrati temporis, et vetiti* (3). In voto, qui habet potestatem dispensandi hujusmodi vota. Sponsalia nemo potest dispensare; quia est impedimentum de jure naturae. At potest a judice Ecclesiastico declarari sponsalia esse soluta concurrente una ex canonicis causis.

105. *Quaenam sint impedimenta dirimentia?*

Sunt, quae continentur in hisce versiculis:

---

(1) Peccat contrahendo, quia se exponit periculo violandi votum: peccat petendo, et etiam reddendo intra bimestre pro prima vice; quia tenetur servare votum quoad fieri potest, idest non petendo, et intra bimestre non reddendo; siquidem altera pars non habet jus.

(2) Non videtur rationi consentanea sententia illorum, qui voventem sacros Ordines obligant ad ingrediendum religionem ante consummationem matrimonii; quia valde durum est ei profiteri religionem, qui tantum voto se adstrinxit suscipiendi sacros Ordines.

(3) Etiam potest Parochus dispensare circa vetitum ab ipso factum.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis testis praesentia desit,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutae:
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

106. *De quonam jure sunt haec impedimenta?*

Sunt de jure naturae illa, quae exprimuntur hoc versiculo:

Errans, invitus, conjunctus, junctus, et impos: scilicet error circa personam, vis absoluta, consanguinitas in primo gradu lineae rectae, aliud matrimonium existens; et impotentia antecedens, ac perpetua. Caetera autem sunt de jure positivo.

107. *Habetne Ecclesia potestatem apponendi impedimenta dirimentia matrimonium?*

Maxime. Nam Christus elevans matrimonium ad rationem Sacramenti, illud potestati Ecclesiae subjecit; et constat ex Tridentino sess. 24. can. 4. (1).

108. *Quomodo peccat, qui scienter contrahit matrimonium cum aliquo impedimento dirimente?*

Peccat graviter; 1. contra praeceptum Ecclesiae; 2. contra Religionem ob injuriam Sacramenti; 3. contra justitiam; quia decipit alteram Partem stantem in bona fide (2).

109. *Qui cum hujusmodi impedimento contractum matrimonium consummat, committitne aliud peccatum praeter fornicationem?*

Si per copulam laedat aliam virtutem, committit aliud peccatum speciale praeter castitatem (3).

---

(1) *Si quis dixerit: Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Imo ex eodem Tridentino declaratur, causas matrimoniales ad Ecclesiam spectare: eadem sess. can. 12.

(2) Si vero contrahat per metum revera gravem, et interius consensum non apponat, non committit recensita peccata; quia non ponit substantiam, seu materiam Sacramenti:

(3) Uti esset contra pietatem, si cum consanguinea,

110. *Qui contrahit matrimonium cum aliquo impedimento dirimente incurritne in aliquam poenam?*

Ex Clementina (1) incurrunt in excommunicationem nemini reservatam scienter contrahentes matrimonium consanguinei, vel affines usque ad quartum gradum; item Religiosi, vel Religiosae professae; constituti in sacris; et contrahentes cum Religiosa professa.

De impedimentis erroris, et conditionis.

111. *Matrimonium per errorem celebratum estne validum?*

Si error est circa personam, vel circa qualitatem redundantem in personam, aut appositam uti conditionem, *sine qua non*, matrimonium est nullum de jure naturae; sive sit error antecedens, sive concomitans, sive consequens; quia deficit consensus requisitus. Si vero error sit circa qualitatem, matrimonium est validum (2).

---

affine, etc. consummaret; contra Religionem, si cum voto sollemni castitatis, etc.

(1) Ex Clementina *Eos*, *qui*. Unico de consang., et affinit.

Differentia inter casus Clementinos, et casum IX. in Neapol. Dioecesi reservatum haec est: casus Clementini requirunt tantum attentationem matrimonii; interdictio est usque ad quartum gradum, excommunicatio non est reservata: casus in Dioec. Neap. reservatus requirit tantum copulam, extenditur usque ad secundum gradum, excommunicatio est Ordinario quoad viros tantum reservata. Quoad mulieres potest absolvi, quando occasio est facta moraliter remota, et imposita gravi salutari poenitentia.

(2) Error est acceptio unius personae pro alia. Qui potest esse circa personam, uti dictum est, vel circa qualitatem: scilicet quando aliqua persona creditur affecta aliquibus qualitatibus, quas revera non habet: ex. gr. putatur illa persona esse virgo, dives, pulchra etc.; quae revera non est talis. Deinde error potest esse antecedens, concomitans, et consequens. Primus habetur, quando quis intendit contrahere cum una, et contrahit cum alia. Secundus habetur

112. *Quando habetur impedimentum conditionis?*

Quando liber ignoranter contrahit matrimonium cum serva; et vice versa (1).

De impedimentis voti, et Ordinis.

113. *Quando habetur impedimentum voti?*

Quando adest votum solemne vel in professione religiosa, vel in susceptione Ordinis sacri.

114. *Haec duo vota dirimuntne matrimonium eodem modo?*

Minime. Nam votum in susceptione Ordinis sacri tantum dirimit matrimonium contrahendum (2); vo-

quando quis intendit contrahere cum una, et contrahit cum alia; verum tamen si scivisset, etiam contraxisset, sed non tam de facili. Tertius est, quando quis dubitans in contractione, utrum sit illa, cum qua intendit contrahere, et non adhibet diligentiam. In primo errore omnino non habetur consensus; in secundo, et tertio non habetur actualis consensus. At si intendat contrahere cum illa persona praesente, quaecumque ea sit, valet matrimonium; quia circa eam versatur consensus. Denique qualitas redundans in personam est, quando qualitas illa determinat personam, seu designat per talem qualitatem illam personam determinatam, cum qua quis vult contrahere; uti si quis intendat contrahere cum primogenita Caji, vel cum filia formosiori, et contrahit per errorem cum secundogenita, vel cum filia non formosiori. Vel quando consensus fertur directe, et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam; ideoque tunc error qualitatis redundat in substantiam.

(1) Ex Cap. *Ad nostram* de conju. serv. Hinc liber scienter contrahens cum serva, vel contra, valide contrahit matrimonium ex Cap. *Proposuit* de Conjugio Servorum. Item non peccat, sed tantum incidit in irregularitatem ex Can. *Si quis* 15. distint. 34. Hoc intelligitur, quando contrahitur matrimonium cum servis stricte sumptis, nempe mancipiis. Nam alii servi sunt liberi quoad matrimonium.

Praeterea ad validitatem matrimonii servorum non requiritur consensus domini: ut ex Cap. 10. *Dignum est.* de Conju. Serv. At tantum peccat dominus, si servum impediat a matrimonio; non vero si ei non dat licentiam.

(2) Ex Tridentino sess. 24. can. 9.

tum emissum in professione religiosa dirimit matrimonium contrahendum, et contractum ratum (1).

115. ***Danturne casus, in quibus vir potest suscipere sacros Ordines?***

Maxime: ratione justi divortii, aut de licentia uxoris. Idem dicendum de profitenda religione post consummationem matrimonii.

116. ***Quaenam requirantur, quando uxor dat viro licentiam?***

Requiritur, ut licentia sit omnino libera, et expressa; ut desit periculum incontinentiae; ut uxor voveat perpetuam castitatem; et, si sit juvenis, vel vir fiat Episcopus, debeat monasterium ingredi (2).

117. ***Estne valida professio emissa a viro post consummatum matrimonium extra recensitos casus: scilicet divortii perpetui, aut de licentia uxoris?***

Minime: uti constat ex Cap. *Quidam* 3. de Convers. Conjug. (3).

---

(1) Ex Cap. *Verum* de Convers. Conjug.; et ex Concilio Tridentino sess. 24. de matrim. can. 6.

Utrum obligatio servandi castitatem sit vere votum in susceptione sacri Ordinis, an praeceptum Ecclesiae, quaestio.

Discrimen inter votum emissum in professione religiosa, et in susceptione sacri Ordinis quoad dirimendum matrimonium in hoc positum est: quod per professionem fit perfecta traditio suiipsius; adeoque habetur in eo, qui profitetur, quaedam mors spiritualis; non vero in susceptione sacri Ordinis.

(2) Ex Cap. *Conjugatus*, et ex Cap. *Consuluisti* de convers. Conjug. Hoc valet etiam de viro dante uxori licentiam.

(3) Professione facta ex licentia uxoris, non servatis a jure praescriptis solemnitatibus, est valida, sed illicita: uti constat ex Cap. *Ex parte* 9. citato titulo. Item etiam elapso bimestri, nondum matrimonio consummato, professio a conjuge facta altero invito est valida, sed illicita: uti ex Glossa in cap. *Ex publico cit. tit.*

Quando professio est nulla, tenetur profitens religionem e monasterio egredi, et ad conjugem redire; et juxta aliquos tenetur tantum reddere, et non potest mortua uxore aliud matrimonium inire. Nam dicunt, remanere saltem professio-

118. *Inciditne in aliquam poenam, qui absque licentia uxoris, aut sine divortio perpetuo suscipit sacros Ordines?*

Maxime, in irregularitatem; quae semper durat (1). In quam poenam incidit etiam sacris initiatus contrahendo, et consummando matrimonium (2).

119. *Ille, qui post matrimonium ratum suscipit sacros Ordines in casibus non permissis, teneturne ingredi religionem, et profiteri, ut servet votum?*

Litigium inter Theologos. At verius ex Extrav. *Antiquae* (3) solummodo est ab Episcopo monendus de ingrediendo religionem. Nam plus est professio, quam votum castitatis.

120. *Ille, qui post contractum matrimonium suscipit sacros Ordines, vel post matrimonium consummatum canonice profitetur religionem, peccatne contra castitatem, si postea suam uxorem carnaliter cognoscat?*

Non peccat contra castitatem, quia accedit ad suam; peccat vero contra religionem ratione voti.

121. *Estne validum matrimonium initum ab invalide ordinato?*

Maxime. Nam non adest impedimentum Ordinis, neque voti.

122. *Potestne matrimonium contrahere, qui Ordines sacros suscepit ante pubertatem?*

---

nem religiosam, uti votum simplex castitatis: hoc arguunt ex Cap. *Placet* 13. de Convers. Conjug.

Praeterea uxor dans licentiam viro, si postea patiatur periculum incontinentiae, et monasterium non fuerit ingressa, potest virum e monasterio revocare ad reddendum debitum, non vero ad petendum. Ex cap. *Praeterea* 1. de eodem titulo.

(1) Ob indignam Ordinis susceptionem.

(2) Praeter excommunicationem ex Clementina incidit in istam poenam ob bigamiam similitudinariam. Qui post contractum matrimonium suscipit sacros Ordines in casibus non permissis, et tenetur accedere ad suam uxorem, expedit, ut transeat ad Ecclesiam Graecam.

(3) Unico de voto, et voti redemptione.

Litigium inter Doctores. At communius potest contrahere matrimonium: quia sicut ex Trid. professio est nulla ante aetatem XVI. annorum, a pari nullum dicendum est votum in ea aetate emissum (1).

123. *Qui per metum gravem suscipit sacros Ordines teneturne ad votum?*

Vel non habet animum suscipiendi Ordines, non tenetur ad votum; vel habet animum suscipiendi Ordines, litigant DD. (2).

124. *Teneturne ad istud votum, qui suscipiendo sacros Ordines nescit votum esse adnexum?*

Maxime; quia qui vult statum, debet suscipere obligationem statui adnexam. Hinc non potest contrahere matrimonium, etiamsi expresse non intendat se obligare; quia ad id tenetur saltem ex praecepto Ecclesiae, quae reddit ordinatum in sacris inhabilem ad matrimonium ex Cap. *De Diacono* 5. qui Cleric. vel vov.

125. *Graeci ex hoc impedimento contrahuntne nulliter matrimonium?*

Maxime. Graeci in sacris constituti contrahunt nulliter matrimonium ex impedimento Ordinis, non ex illo voti (3).

126. *Suntne aliqua vota simplicia, quae dirimunt matrimonium?*

---

(1) Hoc certum est, si suscipiantur Ordines ante usum rationis: ex defectu perfectae rationis, et voluntatis; nec Ecclesia intendit obligare in ea aetate.

(2) Extra omnem controversiam positum est, teneri ad votum, qui metu coactus ad suscipiendos Ordines habet animum suscipiendi Ordines, et postea ablato metu verbis, vel factis ratam habet Ordinationem, puta exercendo officia suscepti Ordinis.

(3) Ex Cap. *Cum olim* de Cleri. Conjugatis. et ex can. 14. *Aliter* caus. 31. Graeci possunt suscipere sacros Ordines post matrimonium contractum cum una, et virgine; non possunt post susceptionem Ordinis sacri matrimonium inire. Nam tenent, Ordinem sacrum esse impedimentum dirimens matrimonium, non vero in Ordine inesse votum dirimens matrimonium.

Maxime : votum castitatis emissum ab uxore dante licentiam viro ad suscipiendos sacros Ordines (1) ; et votum simplex castitatis, quod Religiosi Societatis Jesu post duos annos probationis emittunt (2). Haec vota dirimunt matrimonium contrahendum, non vero contractum.

De impedimento cognationis.

127. *Quid, et quotuplex est cognatio?*
Est vinculum seu propinquitas personarum, ortum a natura, vel a lege. Quae triplex est : carnalis, spiritualis, et legalis.

De cognatione carnali.

128. *Quid est cognatio carnalis, seu consanguinitas?*
Est propinquitas personarum ab eodem stipite per carnalem propagationem descendentium (3).

129. *Quid est stipes?*
Est persona illa, a qua omnes aliae carnali propagatione descendunt.

130. *Quid est linea?*
Est ordinata series personarum ab eodem stipite descendentium.

131. *Quotuplex est linea?*
Multiplex est: alia recta, alia obliqua seu transversalis (4). Recta est collectio personarum, quarum una ab altera descendit (5) : quae, si est a genitis ad genitores, dicitur ascendentalis; si a genitoribus ad genitos, dicitur descendentalis. Obliqua est collectio personarum ab eodem stipite descendentium,

---

(1) Ex can. *Quia sunt* 10. distin. 28. Votum emissum ab uxore, quae dat licentiam, ut vir religionem profiteatur, per istius professionem non fit sollemne.

(2) Ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino.* Relig. Soc. Jesu tenentur, donec maneant in Religione.

(3) Haec cognatio distinguitur per lineas, et gradus.

(4) Dicitur etiam collateralis.

(5) Uti pater, filius, nepos, pronepos, etc.

quarum una ab altera non descendit (1). Haec linea vel est aequalis, vel inaequalis. Prima est collectio personarum aequaliter distantium a comuni stipite (2); secunda est collectio personarum inaequaliter distantium a communi stipite (3).

132. *Quid est gradus?*

Est distantia, qua una persona ab altera distat.

133. *Quaenam regulae assignantur ad computandos gradus carnalis cognationis ex jure Canonico?*

In linea recta haec est regula: tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite (4). In linea transversali aequali: eo gradu personae distant inter se, quo gradu distant a communi stipite (5); in transversali inaequali: eo gradu personae distant inter se, quo gradu persona remotior distat a communi stipite (6).

---

(1) E. g. fratres germani, consobrini, etc.

(2) Uti duo fratres, duo patrueles, etc.

(3) Uti patruus, et nepos.

(4) Ex Divo Thoma. Sup. q. 54. art. 1. Ita tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc nepos distat ab avo duobus gradibus; quia sunt tres personae, e quibus dempta una, nempe stipite, remanent duae.

(5) Ita duo fratres uno gradu distant inter se; quia uno distant a patre.

(6) Sic nepos distat a patruo duobus gradibus; quia tot gradibus nepos, qui est persona remotior, distat a communi stipite.

Secundum jus Civile eadem regula assignatur in omni linea: nempe tot sunt gradus, quot personae, dempto stipite. Quo posito, juxta hujusmodi regulam duo fratres duobus gradibus a se distant; siquidem duo fratres, et pater, tres sunt personae; at dempto stipite, remanent duae; ergo duo inter illos intercedunt gradus. Patruus, et nepos sunt in tertio gradu; quia sumpto patruo, ejusque fratre, qui est pater nepotis, sumptoque avo, qui est pater communis tum patrui, tum patris nepotis, et ipso nepote: quatuor exinde computantur personae. Dempto itaque ex eis stipite, qui est avus, habentur tres personae, ideoque tres gradus. Hinc itaque est, ut graduum computatio inter jus Civile, et Canonicum in linea transversali, plurimum differat.

In matrimonio regulae canonicae sunt observandae; in

134. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum cognationis carnalis, seu consanguinitatis?*

In linea recta usque ad infinitum. In linea transversali usque ad quartum gradum inclusive.

135. *De quonam jure est hoc impedimentum?*

In primo gradu lineae rectae secundum omnes DD. est de jure naturae; in aliis gradibus ejusdem lineae, quaestio. In primo gradu lineae transversalis, an sit de jure naturae, quaestio; in aliis gradibus ejusdem lineae juxta omnes est de jure positivo (1).

---

successionibus regulae juris Civilis. Nam secus jura legitimarum haereditatum pertubarentur; quia eodem gradu nepos distaret a filio patrui, et a patruo: juxta illud juris: *Eo gradu filius fratris mei distaret a me, et a filio meo.*

(1) Hoc eruitur ex responsis Nicolai I. ad consul. Bulgarorum cap. 39. et ex Cap. *Non debet* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III., et Cap. *Vir* ult. de Consangu. et affin.

SCHEMA *Cognationis Carnalis*, *seu Consanguinitatis.*

		5 Propatruus Proamita IV.	3 Proavus Proavia III.	5 Proavunculus Promatert. IV.		
	6 Fil.et Filiæ Propatrui Proamitae IV.	4 M. Patruus M. Amita III.	2 Avus Avia II.	4 M. Avunculus M. Matert. III.	6 Fil.et Filiæ Proavunc. Promatert. IV.	
7 Nepotes Propatr. Proamita IV.	5 Fil.etFiliæ M. Patris M. Amitæ III.	3 Patruus Amita II.	1 Pater Mater I.	3 Avunculus Matertera II.	5 Fil.etFiliæ M. Avunc. M. Matert. III.	7 Nepotes Proavunc. Promatert. IV.
6 Sobrini, et Sobrinae III.	4 Patrueles Amitini II.	2 Fratres I.	HYPOTE de quo quaeritur	2 Sorores I.	4 Consobrini Amitini II.	6 Sobrini Sobrinae III.
5 Fil.etFiliæ Patruelium Amitinor. III.	3 Filii, et Filiae Fratrum II.		1 Filii Filiae I.		3 Filii, et Filiae Sororis II.	5 Fil.etFiliæ Consobrin. Amitinor. III.
4 Nepotes, et Neptes Fratrum III.			2 Nepotes Neptes II.			4 Nepotes, et Neptes Sororis III.
			3 Pronepotes Proneptes III.			

Numerus Romanus gradus Canonicos, Arabicus gradus Civiles signat.

De cognatione spirituali.

136. *Quid est cognatio spiritualis ?*
Est propinquitas personarum orta aut ex susceptione, aut ex administratione Baptismi, vel Confirmationis.

137. *Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum ?*
Inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem; inter suscipientem, et susceptum, susceptique patrem, et matrem. Et sic etiam in Confirmatione (1).

138. *Quaenam conditiones requirantur in baptizante, ut contrahatur haec cognatio spiritualis?*
Ut sit baptizatus, et ut revera baptizet.

139. *Quaenam sint conditiones, ut suscipiens, seu patrinus, contrahat cognationem ?*
Sequentes: 1. ut sit baptizatus; 2. ut teneat in vero, primo, et solemni baptismate; 3. ut statim suscipiat baptizatum e sacro fonte, aut teneat in collatione baptismi; 4. ut habeat expresse, vel tacite intentionem praestandi munus patrini; 5. ut sit a parentibus designatus, vel a Parocho, vel ab aliis curam pueri habentibus; 6. ut non sit error circa personam (2).

140. *Qui tenet in secundo Baptismo, quando dubitatur de validitate primi Baptismi, contrahitne hanc cognationem ?*
Praesumendum est, contrahere; quia quando dubitatur de primo Baptismo, fieri potest, quod secundus sit validus.

141. *Qui habet intentionem praestandi munus pa-*

(1) Ex Tridentino sess. 24. de reform. Matrimonii cap. 2.
(2) Idem dicendum de patrino in Confirmatione. Omnia eruuntur ex pluribus Canonibus: vide apud Fulco Tom. 4. de Matrimonio p. 361. Qui tenet in baptismo necessitatis causa collato, non contrahit: quia non est solemne. Nam in solemni tantum baptismo adhibendus est patrinus juxta probabiliorem, et communiorem sententiam. Lege D. Ligorium Lib. VI. Tract. II. de Baptis. n. 149.

trini, sed non contrahendi cognationem, contrahitne?

Maxime. Nam qui vult principale, debet necessario velle etiam accessorium adnexum hujusmodi muneri ex praecepto Ecclesiae.

142. *Quando quis suscipit aliquem in Baptismate, vel Confirmatione per procuratorem, contrahitne ipse cognationem, an procurator?*

Ipse mandans contrahit cognationem; quia mandatarius mandantis vicem gerit (1).

143. *Quot personae possunt tenere in Baptismate?*

Unus vel una; et ad summum unus, et una ex Tridentino loco cit. (2).

144. *Sponsus de futuro, qui tenet filium suae sponsae, vel baptizat, contrahitne cognationem cum sua sponsa?*

Si baptizat, semper contrahit; etiamsi ignoranter id faciat (3). Si vero ignoranter tenet, non contrahit; quia adest error circa personam; secus, contrahit.

145. *Qui baptizat, vel tenet proprium filium, vel filium suae uxoris, seu privignum, contrahitne cognationem cum sua uxore?*

Si hoc fecerit ex culpa, contrahit; si absque culpa, nempe aut ex necessitate, aut ex ignorantia, non contrahit: nam hoc in casu requiritur delictum (4).

---

(1) Idem non est dicendum de baptizante; quia baptizans ipse est minister.

(2) Ex decentia esse debet ejusdem sexus.

Si plures tangant, an omnes contrahant; quaestio. Secundum aliquos si tangant successive, duo primi contrahunt, si simul, rationabilius neminem contrahere dicendum est ob incertitudinem.

(3) Ex cap. *Veniens* 6. de cognat. Spirit.

(4) Ex cap. *Vir.* de Cogn. Spirit. Haec ignorantia sive sit facti, sive juris, semper excusat a prohibitione Ecclesiae; ideoque a culpa, et a poena: quae est privatio juris petendi. Ex hoc clare patet, quod in conjuge est poena, quae requirit culpam; in sponso est inhabilitas, quae culpam non exigit. Fidelis, qui baptizat filium Infidelis, omnino non contrahit, quia est incapax.

De cognatione legali.

146. *Quid est cognatio legalis?*

Est propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta.

147. *Quid et quotuplex est adoptio?*

Adoptio est legitima assumptio personae extraneae in filium, aut in nepotem. Quae duplex est: perfecta, et imperfecta. Perfecta est illa, quae fit auctoritate Principis; imperfecta est, quae fit auctoritate privata alicujus judicis competentis.

148. *Quinam sint effectus adoptionis perfectae, seu adrogationis?*

Sequentes: impedimentum dirimens matrimonium; adoptatus necessario succedit adoptanti, tam ex testamento, quam ab intestato; et adoptatus transit pleno jure in potestatem adoptantis (1).

149. *Quaenam conditiones requirantur ad adoptionem perfectam?*

Sequentes: ut adoptans sit masculus (2); sui juris; aetatis saltem quadraginta annorum; et naturaliter potens ad gignendum filios (3). Ut adoptatus sit sui juris; sit minor 18. annis suo adoptante; ut sit praesens adoptioni; et libere in adoptionem consentiat (4).

---

(1) Effectus adoptionis imperfectae sunt: quod adoptatus tantum succedit ab intestato. Ideoque potest sine injuria adoptans disponere in testamento totum in favorem alterius personae.

(2) Patet §. 4. Institut. tit. de Adopt. Hinc foeminae non possunt adoptare, nisi ex specialissima concessione Principis §. *foeminae* loco cit.

(3) Quod si filios domi habebat, non poterat adoptare sine consensu eorum.

(4) §. 4. et §. 9. Instit. eodem titulo. Hinc non potest per procuratorem, et per litteras. L. *Neque*, et L. *Post mortem*, §. *Neque* D. eod. tit. Si quis vero adoptatur in nepotem, debet esse minor adoptante triginta sex annis.

Ex Codice vigente sequentia sunt sancita de adoptione: nemo potest adoptare, sive sit mas, sive sit foemina, nisi habeat aetatem majorem quinquaginta annis; nisi sit major

150. *Inter quas personas contrahitur haec cognatio, et inde impedimentum dirimens?*

In linea recta inter adoptantem, et adoptatum, adoptatique descendentes legitimos; si tempore ado-

---

suo adoptato saltem annis quindecim; et nisi careat filiis; vel descendentibus legitimis tempore adoptionis. Nemo potest adoptari a duobus, nisi a duobus conjugibus. Nemo conjugum potest adoptare sine consensu alterius conjugis. Art. 366. 367. At vero infra aetatem quinquaginta annorum potest aliquando quis adoptare, in sequentibus nempe casibus: 1. quando adoptans saltem spatio sex annorum subministravit adoptando in minori aetate alimenta, et curas continuas pro eo gessit; 2. quando adoptans liberatus fuit a periculo incendii, aut certaminis, aut aquae adoptandi opera. Art. 268. 269. Item potest quis adoptari ante aetatem vigintiquinque annorum cum consensu parentum; post hauc vero aetatem debet petere consilium parentum; et mortuis parentibus cum approbatione consiliifamilias, si fiat adoptio ante aetatem vigintiunius anni. Art. 270.

Ex eodem Codice effectus civiles hujus adoptionis sunt sequentes: 1. Adoptio confert adoptato cognomen adoptantis. 2. Ex adoptione obligatio oritur reciproca ad alimenta inter adoptatum, et adoptantem, tamquam inter patrem, et filium. 3. Adoptatus habet jus in successione tantum adoptantis, tamquam filius ex matrimonio natus; etiamsi alii filii legitimi, et naturales nati fuerint post adoptionem. 4. Quod si adoptatus sine descendentibus legitimis praemoriatur adoptanti, bona omnia in specie existentia accepta ab adoptante, vel ex ejus haereditate, redeunt ad adoptantem, ejusque descendentes cum omnibus oneribus adnexis, et sine praejudicio tertii; omnia alia bona adoptati spectant ad ejus parentes. 5. Si descendentes adoptati moriantur sine filiis, tantum ad bona superius expressa succedit adoptans, non vero ejus descendentes. Art. 271. usque ad 276.

Haec respiciunt effectus civiles, non vero impedimentum canonicum. Nam quoad impedimentum canonicum dirimens matrimonium sunt servanda omnia statuta ex jure Romano, tum quoad gradus, et lineas, inter quas extenditur impedimentum; tum quoad ea, quae requiruntur ad adoptionem hoc inducentem impedimentum, ut supra in quaesitis disposui. Illud civile jus tunc existens recepit, et adprobavit Ecclesia, et suum fecit: uti apertissime docet Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. 9. cap. 10. hisce verbis: *et co-*

ptionis sint sub patria potestate. In linea transversali inter adoptatum, et adoptantis filios, et filias naturales, et legitimas: durante adoptione, et patria

---

gnationem legalem, et quae ex ea ad nuptias profluunt obstacula eo prorsus modo, quo a jure civili statuta fuerunt, universim recepit, adprobavitque Nicolaus I. (In responsione ad consulta Bulgarorum. Can. *ita diligere* caus. 30. q. 3., et in cap. unico de cogn. legal.) *Quamobrem si quaestio incidat sive in tribunali Ecclesiastico, sive etiam in Synodo an in hoc, vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, necessario recurrendum erit ad leges civiles, atque ad earum normam controversia decidenda.* Proindeque juxta illud civile jus, et non aliud omnia dirigenda, atque constituenda sunt quoad adoptionem inducentem cognationem, et quoad impedimentum canonicum. Omnia alia posterius a jure sancita non pertinent ad illud jus, quod Ecclesia recepit; usquedum ipsa Ecclesia non recipiat, et suum faciat. Igitur nova dispositio Codicis vigentis in regno Neapolitano de adoptione, tantum quoad effectus civiles, non vero quoad impedimentum canonicum dirimens matrimonium, prae oculis ponenda est.

Hoc sane omnino tenendum est secus, ac sequerentur absurda. Nam si variabile esset jus adoptionem dirigens, esset etiam variabile Canonicum impedimentum ex adoptione ortum; proindeque idem impedimentum quod hic induceretur, alibi minime vigeret, prout nempe jus de adoptione vigeret in hoc, vel in alio loco. Neapoli ex. gr. esset vera adoptio, si a foemina fieret, et ideo canonicum impedimentum induceretur; alibi cum foemina non possit adoptare, hujusmodi adoptio non esset vera, et perfecta; proindeque nec impedimentum canonicum dirimens matrimonium obstaret. Non idem ergo esset impedimentum ex hac cognatione seu adoptione appositum ab Ecclesia ubique receptum.

Praeterquamquod leges Canonicae circa eandem materiam, seu objectum constitutae, de quo differentes sanctiones civiles habentur, remanent in sua firmitate, et vigore, prout fuerunt receptae; et hoc in casu unumquodque jus obligat in ordine ad objectum suae jurisdictionis; scilicet jus Canonicum quoad bona communia spiritualia, Civile vero quoad bona communia temporalia. Quod quidem in aliis utriusque juris differentiis, videre est. Enimvero aliae sunt regulae juris Canonici pro computandis gradibus consanguinitatis, et aliae diversae a jure Civili statuuntur ad computandos hu-

potestate. In linea affinitatis inter adoptantem, et uxorem adoptati; inter adoptatum, et uxorem adoptantis (1).

151. *Estne perpetuum hoc impedimentum?*

In linea recta, et affinitatis est perpetuum impedimentum. In linea transversali est temporale, nempe quoadusque durat patria potestas, et adoptio, ex Leg. cit. (2).

---

jusmodi gradus. Item differentes conditiones assignantur a jure Canonico ab illis a jure Civili determinatis ad infligendas poenas in concubinarios; et sic de ceteris paribus. At tamen tantum abest, ut unius legis sanctiones destruant sanctiones alterius, quin potius immutabiles vigeant suae leges in unaquaque jurisdictione.

Tandem, in legibus nomocanonicis, ut in Concordatis Pontificem inter, et supremam Potestatem Civilem initis, in utraque jurisdictione subditi adstriguntur; nec inde in his legibus potest aliquid statutum immutari, nonnisi utraque Potestate annuente. Itaque a fortiori in lege prorsus Canonica nequaquam fas est recedere ab eo, quod Ecclesia sanxit, et jam incunctanter receptum est. Ex his igitur evidenter colligitur, in adoptione Canonicum impedimentum inducente servandum esse jus Romanum, quod Ecclesia recepit, suumque fecit, atque hucusque ab omnibus receptum est, ne inde fiat, quod jus dirigens adoptionem, ac inducens Canonicum impedimentum esset variabile, et mutabile. In hanc equidem me adduxit sententiam jurisdoctorum auctoritas, quos diligenter consului.

(1) L. *Adoptivus* 14. §. 1. L. *Per adoptionem* D. De ritu nupt. Foeminae possunt adoptari, sed filii ejus non contrahunt cognationem; quia non sunt sub patria potestate matris. Ex Codice: mater habet patriam potestatem, ideoque si adoptetur, ejus filii contrahunt cognationem cum adoptante secundum effectus civiles. In art. 160. Impedimentum cognationis legalis extenditur etiam inter adoptatum, et filios adoptivos adoptantis.

(2) Impedimentum in linea recta, utrum extendatur usque ad quartum gradum, an sistat solum in primo, quaestio inter DD.

De impedimento criminis.

152. *Quid est impedimentum criminis?*

Est illud, quod provenit ex delicto patrato contra fidem matrimonii, ex quo timetur mors conjugis.

153. *Ex quonam crimine contra fidem matrimonii patrato oritur impedimentum dirimens matrimonium?*

Ex homicidio cum conspiratione; ex homicidio cum adulterio; ex adulterio cum promissione matrimonii; et ex adulterio cum attentatione matrimonii.

154. *Quaenam conditiones requirantur ad inducendum impedimentum ex homicidio cum conspiratione?*

Sequentes: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut conspiratio sit ex utraque parte; 3. ut revera sequatur mors conjugis ex conspiratione; 4. ut sequatur mors causa contrahendi matrimonium cum conspirante (1).

155. *Contrahiturne impedimentum, si mors sequatur non ex percussione, vel ex veneno propinato, sed ex alia causa?*

Minime; quia non sequitur ex conspirato delicto.

156. *Induciturne impedimentum, si mors sequatur ex aliqua causa morali, puta ex mandato, aut consilio ad occidendum?*

Maxime. Hinc mandans, aut suadens ex conspiratione ad occisionem non potest cum conspirante contrahere.

157. *Quid si mandatum revocetur, et mors sequatur, induciturne impedimentum?*

Si notitia revocationis mandati innotuerit mandatario, non inducitur; quia non ex vi mandati sequitur mors. Secus, inducitur. Non contrahit vero impedimentum ille, qui ratam habet occisionem nomine suo factam.

---

(1) Ex Can. *Si quis vivente uxore* 5. caus. 31. q. 1., et Cap. *Laudabilem* 1. de Convers. Infid. Intentio conspirationis cum sit causa contrahendi matrimonium inter ipsos conspirantes; ideoque ex saniori sententia debet esse hacc intentio aliquo modo utrique conspirauti cognita.

158. *Quaenam conditiones exigantur ad contrahendum impedimentum ex homicidio cum adulterio?*

Sequentes: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale (1); 3. ut sequatur mors; 4. ut mors sequatur causa contrahendi matrimonium; 5. ut tam adulterium, quam homicidium sit patratum sub eodem conjugio (2).

159. *Si hoc delictum sit commissum matrimonio nondum consummato, inducilurne impedimentum ex homicidio cum adulterio?*

Maxime; quia semper habetur adulterinm (3).

160. *Quid si uxoratus habeat copulam cum uxorata, cum ambo nesciant se copulam habere cum persona conjugata; et postea sciens feminam esse uxoratam, occidit virum ejus, et suam uxorem, contrahitne impedimentum?*

Litigium inter DD. Sanchez cum aliis putat, non induci impedimentum; quia unusquisque suae comparti facit injuriam, non parti alterius. Alii docent, induci impedimentum; quia revera committitur formale adulterium cognitum ab utroque patrante contra propriam conjugem.

161. *Quaenam sint conditiones requisitae pro impedimento ex adulterio cum promissione matrimonii?*

Sequentes: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum, et formale; 3. ut promissio sit exterius manifestata, et acceptata; 4. ut tam adulterium, quam promissio sit sub eodem conjugio (4).

---

(1) Perfectum, idest per carnalem perfectam naturalem copulam: formale, idest ex utraque parte cognitum est adulterium.

(2) Praeter loca superius citata etiam ex cap. *Significasti* 6., *Veniens*, et *Propositum* de eo, qui duxit in matrim. constant istae conditiones.

(3) Ex cap. *Litterarum* tit. cit. non distinguitur matrimonium ratum, aut consummatum.

(4) Sive promissio praecedat, sive sequatur adulterium ex Cap. *Relatum*; et ex cap. *Si quis* de eo, qui duxit in matrim.

162. *Qui promittit matrimonium foeminae putans esse solutam, et postea sciens esse conjugatam habet copulam, potestne cum ipsa contrahere matrimonium mortuo ejus viro?*

Minime; quia verificatur promissio, et adulterium sub eodem conjugio; et per adulterium formale videtur ratificata promissio. Non autem vice versa; quia tunc non habetur adulterium formale.

163. *Quid si revocata fuerit promissio, et postea committitur adulterium?*

Non inducitur impedimentum. Si vero post adulterium revocetur promissio, inducitur quidem; quia tempore adulterii existebat promissio.

164. *Qui habet copulam cum uxorata, et postea promittit sub conditione de futuro contigenti, potestne contrahere cum ipsa, mortuo ejus viro?*

Quaestio inter DD. Sicut etiam est quaestio, si ficte promissum sit. At in foro externo semper habetur inductum impedimentum; quia praesumitur verus animus promittendi.

165. *Quaenam sint conditiones necessariae ad impedimentum ex adulterio cum attentatione matrimonii?*

Sunt sequentes: 1. ut matrimonium antecedens sit validum; 2. ut adulterium sit perfectum et formale; 3. ut attentatio sit materialis, et formalis (1); 4. et ut tam adulterium, quam attentatio sit constante eodem matrimonio.

166. *Quid si quis putans aliquam foeminam esse solutam attentat contrahere matrimonium, postea sciens esse uxoratam carnaliter cognoscit?*

Contrahitur impedimentum; quia etsi attentatio

---

(1) Scilicet ut vivente altera conjuge, et habita scientia vitae ipsius attentatur matrimonium; sive attentatio adulterium praecedat, sive subsequatur: ex cit. Cap. *Propositum*, et ex Cap. *Significavit*, et ex Cap. *Veniens* cit. tit. Attentatio materialis est, quando conjux creditur mortua, sed est vivens: formalis est, quando conjux creditur viva, sed est mortua.

non habeatur in actu, habetur tamen in usu; non contra.

167. *Si quis ex metu gravi attentat contrahere matrimonium cum uxorata, quam carnaliter cognoverat, inducitürne impedimentum?*

Minime; quia attentatio non est omnino voluntaria, sicut requiritur a jure (1).

De impedimento disparitatis cultus.

168. *Quandonam habetur impedimentum disparitatis cultus?*

Habetur inter baptizatam, et non baptizatam, etiamsi sit cathecumena; et sic vice versa (2).

169. *Quonam jure est illicitum matrimonium inter istos?*

Omni jure: ob periculum subversionis, et damnum spirituale prolis (3).

170. *Estne validum, et licitum matrimonium inter Catholicum et haereticam, vel contra?*

Est validum; quia ambo sunt baptizati (4). Est

---

(1) Quamvis alii contrarium sentiant. Id sic contingere potest: pater alicujus uxoratae videns Cajum adulterium commisisse cum sua filia, cogit ex metu gravi, ut matrimonium contrahatur cum ipsa filia.

Praeterea sciendum, ~~quod si unum ex hisce~~ delictis committatur inter Fidelem, et Infidelem, si compleatur delictum ex parte Fidelis, inducitur impedimentum; quia Ecclesia punit Fidelem. Hinc si Infidelis convertatur, non potest contrahi matrimonium inter eos. Si duo Infideles in infidelitate commiserint delictum, non inducitur impedimentum; quia extra Ecclesiam fuit patratum. At si in infidelitate promissio matrimonii, vel attentatio facta fuerit, et post conversionem ad fidem adulterium oommittatur, an inducatur hoc in casu impedimentum, litigant DD. Vide Sanchez, et Laymann.

(2) Ex can. *Cave* 15. caus. 28. q. 1. eruitur.

(3) Hoc impedimentum, prout est dirimens, est de jure Ecclesiastico ex antiquissima consuetudine a sexto saeculo incepta.

(4) Ex cap. *Decrevit* 15. De haereticis in 6.

tamen utplurimum illicitum ob periculum subversionis. Dixi utplurimum esse illicitum; quia est licitum, 1. quando adest consuetudo, secluso periculo subversionis, ut in Germania (1); 2. quando ex rationabili causa matrimonium contrahitur ante abjurationem, et conversionem cum promissione peragendi eadem; 3. quando dispensatio obtinetur a Summo Pontifice.

De impedimento vis.

171. *Quando habetur impedimentum vis?*

Quando vis absoluta, aut metus gravis injuste incussus est causa contrahendi matrimonium (2).

172. *Habeturne hoc impedimentum, si metus sit reverentialis?*

Si iste metus sit conjunctus cum minis, ita ut revera gravis fiat, habetur hoc impedimentum; ideoque matrimonium est nullum (3).

173. *Quid si matrimonium contractum fuerit per metum gravem a judice incussum secundum allegata et probata, cum tamen revera delictum non habeatur?*

Matrimonium non valet; quia ex parte metum patientis revera est metus injuste incussus.

174. *Matrimonium initum ex metu gravi convalidaturne per cohabitationem, aut per copulam?*

Maxime: convalidatur per cohabitationem spontaneam, et diuturnam, aut per copulam habitam animo maritali; dummodo habeatur cognitio de nulli-

---

(1) Semper cum expresso pacto educandi prolem in Religione Catholica. Omnia eruuntur ex Concilio Chalcedonensi can. 14. At si hoc pactum non intercesserit, aut matrimonium contrahatur cum pacto opposito, utrum sit nullum matrimonium, litigant DD. Attamen matrimonium est validum ex communissima sententia contra Franciscum Schajer et aliquot; quia educatio prolis in Religione falsa non est contra bonum substantiale prolis.

(2) Cap. *Cum locum* 14. de Spons. et Matrim.

(3) Hoc tantum valet in foro conscientiae. Vide in tract. de Actibus humanis n. 24. et in tractatu de Contractibus n. 15. 17.

tate matrimonii, et metus omnino cessaverit. Tunc enim locum habet novus implicitus consensus.

175. *Matrimonium per metum gravem contractum firmaturne juramento?*

Minime: quia est nullum ob bonum commune (1).

176. *Peccatne, qui internum consensum praestat ad contrahendum matrimonium per metum gravem?*

Maxime: si sciat tale matrimonium esse nullum. Nam infert injuriam Sacramento. Si vero non apponat consensum verum, tantum peccat leviter ratione mendacii.

177. *Qui aliquem ad matrimonium cogit, peccatne, et an incidat in poenam?*

Vel habet justam causam, non peccat; vel non habet, peccat graviter contra justitiam, et Religionem (2). Si sint domini temporales, aut magistratus temporalem habentes jurisdictionem in foro externo, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (3).

178. *Incurrunt in aliquam poenam, qui absque justa causa cogunt foeminam ad religionem ingrediendam, vel profitendam, vel suscipiendum habitum; aut impediunt istam a velo accipiendo, vel voto emittendo?*

Incurrunt in excommunicationem nemini reservatam. In quam incidunt etiam consentientes, auxiliantes, praesentiam, et auctoritatem interponentes (4).

---

(1) Ex Cap. *Significasti* de eo, qui duxit.

(2) Ex Tridentino sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 9. Coactio debet esse talis, ut sit mortaliter peccaminosa. Et hoc sive directe, sive indirecte fiat.

(3) Peccat iste contra justitiam, quia infert injuriam: contra religionem, quia se exponit periculo nulliter contrahendi, et reddendi nullum Sacramentum.

(4) Ex Trident. sess. 25, de Regul. et Monial. Cap. 18.

De impedimento ligaminis.

179. *Quando habetur impedimentum ligaminis?*
Quando quis vivente conjuge aliud matrimonium contrahit.

180. *De quonam jure est hoc impedimentum?*
Si sermo sit de matrimonio unius uxoris cum pluribus viris simul retentis, quod Polygandria, seu Biviratus dicitur, est de jure naturae primario (1). Si de matrimonio unius viri cum pluribus simul retentis, quod Polygamia vocatur, est de jure naturae secundario, ac de jure Divino novo (2). Hinc Bigamia, quae est matrimonium unius cum pluribus successive; et Monogamia, quae est matrimonium inter unum, et unam tantum, licitae sunt (3).

181. *Secundum matrimonium estne vere Sacramentum gratiam conferens?*
Maxime; et constat ex Tridentino can. 1. sess. 24.

182. *Quaenam debeat esse certitudo de morte conjugis, ut possit conjux superstes contrahere alterum matrimonium?*
Requiritur ea moralis certitudo, qua judicio prudentum certa habeatur mors conjugis. Hinc non sufficit longa absentia, fama communis, testimonium unius sine aliis conjecturis, et adminiculis (4).

---

(1) Nam est contra prolis certitudinem, immo contra generationem; eo quod foemina a pluribus viris simul cognita, faecundari non potest.

(2) Nam est contra pacem familiae, et perfectam prolis educationem; quod cum non sit directe oppositum substantiae Matrimonii, non est primario contra jus naturae; ideoque a Deo dispensatum fuit Haebreis. Ex Tridentino sess. 14. de Sacram. Matrim. Can. 2.

(3) Ex D. Paulo 1. ad Corinth. et ex Concilio I. Nicaeno can. 8.

(4) Ex Cap. *Dominus* de secundis nuptiis. Si post contractum secundum matrimonium praemissa morali certitudine de morte conjugis compareat primus conjux, qui credebatur mortuus, matrimonium istud constat esse nullum; et tenetur conjux redire ad primum: ex cap. cit. *Dominus*. Est autem istud secundum matrimonium etiam nullum; si tem-

183. *Si secundum matrimonium fuerit contractum cum dubio de morte conjugis, estne validum hoc matrimonium, cum postea certo comperiatur tunc mortuum fuisse conjugem?*

Litigant DD. Aliqui docent esse nullum; quia in dubio non potest apponi verus consensus. At alii dicunt: si consensus fuerit appositus absolute, est nullum; si fuerit appositus sub conditione: scilicet, *si mortuus sit meus conjux*, est validum; quia conditio est vera.

De impedimento publicae honestatis.

184. *Quid est impedimentum publicae honestatis?*

Est propinquitas personarum orta ex matrimonio, vel ex sponsalibus, prohibens matrimonium inter aliquas personas (1) ob decentiam morum.

185. *Ex quibus sponsalibus, et ex quonam matrimonio oritur hoc impedimentum?*

Ex sponsalibus validis, certis, et absolutis; et ex matrimonio rato valido, vel nullo; dummodo non sit nullum defectu consensus, aut in praejudicium priorum sponsalium (2).

186. *Quando dicitur matrimonium nullum defectu consensus, aut in praejudicium priorum sponsalium?*

Defectu consensus dicitur nullum, cum matrimonium contrahitur per vim, per errorem, a furioso, amente (3). Dicitur vero nullum in praejudicium priorum sponsalium, cum contrahitur laeso jure prioris sponsae, aut sponsi.

187. *Quaenam differentia intercedit inter matrimo-*

---

pore contractionis vivebat primus conjux, et postea mortuus fuerit ex cit. cap.

(1) Scilicet inter sponsam et consanguineos sponsi; ac viceversa: sicut etiam inter uxorem et consanguineos mariti ac viceversa.

(2) Ex Cap. *Sponsa* 8. de sponsal., et *ad Audientiam*, et ex Tridentino sess. 24. de Reformatione matrim.

(3) An sit nullum defectu consensus matrimonium initum per metum gravem, aut clandestine, quaestio inter DD.

nium nullum defectu consensus, et matrimonium nullum quia in praejudicium priorum sponsalium?

Haec est differentia: matrimonium nullum defectu consensus non inducit impedimentum aliquod neque quoad antecedentia, neque quoad subsequentia; matrimonium nullum quia in praejudicium priorum sponsalium inducit impedimentum quoad subsequentia, non quoad antecedentia, idest potest contrahi tantum cum priori sponsa (1).

188. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?*

Impedimentum ortum ex sponsalibus extenditur usque ad primum gradum; ex matrimonio usque ad quartum gradum (2).

189. *Si quis contrahat sponsalia conditionata cum aliqua, et ante eventum conditionis contrahit matrimonium cum sorore, vel matre suae sponsae, estne validum hoc matrimonium?*

Maxime; quia ex sponsalibus conditionatis non inducitur impedimentum publicae honestatis. At si uxor moriatur, etiam matrimonio nondum consummato, iste non potest redire ad primam; quia ex matrimonio inductum est impedimentum quoad omnes.

190. *Si quis post soluta sponsalia contrahat matrimonium cum sorore suae quondam sponsae, vel cum aliqua ejusdem consanguinea in primo gradu, estne validum hoc matrimonium?*

Minime; quia impedimentum semel inductum non tollitur, nisi per dispensationem (3). Nec potest repire ad primam sponsam; quia hoc matrimonium cum altera contractum non est nullum, in quantum est in praejudicium priorum sponsaliorum.

---

(1) Cap. *Ex Sponsalibus* unic. de Spons. in 6. Nam quando est in praejudicium priorum sponsalium fit nullum matrimonium ad jus prioris sponsae reparandum.

(2) Ex Tridentino sess. 24. de reform. matrim. cap. 3. et ex Constit. Pii V. *Ad Romanum*.

(3) Ex declaratione S. Cong. 1668. apud Fagnanum lib. 4. decret. in Cap. *ad Audientiam* de Sponsatib. n. 29.

191. *Qui contrahit sponsalia cum Berta, deinde matrimonium cum sorore Bertae, et denique aliud matrimonium cum nepte Bertae, sutne valida haec matrimonia, et an possit redire ad Bertam?*

Matrimonia sunt nulla, et non potest redire ad Bertam. Nam primum matrimonium est nullum, quia in praejudicium priorum sponsalium, et impedimentum tantum ad consequentia inducit; secundum matrimonium est nullum ex impedimento inducto a primo matrimonio, et ideo impedimentum inducitur quoad consequentia, et quoad antecedentia.

192. *Quid si quis celebret sponsalia conditionata cum Seja, et deinde sponsalia absoluta cum sorore Sejae, denique matrimonium cum alia sorore Sejae, estne validum hoc matrimonium?*

Maxime. Nam ex primis sponsalibus non inducitur impedimentum, quia conditionata; neque ex secundis, quia sunt nulla (1).

193. *Catholicus sponsalia contrahit cum Maevia haeretica, et postea matrimonium cum sorore ejusdem, contrahitne valide hoc matrimonium?*

Distinguendum: si sponsalia fuerint valida, quatenus permissum erat matrimonium cum ista Maevia, matrimonium contractum cum sorore est nullum. Si sponsalia fuerint nulla, validum est matrimonium cum secunda.

De impedimento affinitatis.

194. *Quid est affinitas?*

Est propinquitas personarum orta ex copula carnali (2).

195. *Usque ad quem gradum extenditur hoc impedimentum?*

Ex copula illicita usque ad secundum gradum; ex copula licita usque ad quartum gradum (3).

(1) Sic ex sponsalibus nullis ex metu, ex impedimento voti; etc.

(2) Dummodo copula sit naturalis, et perfecta.

(3) Ex Cap. *Non debet* 8. de consangu. et affinit. Et ex Tridentino sess. 24. de Reform. Matrim. 4.

196. *Quomodo computantur gradus affinitatis?*

Hoc modo: quo gradu quis est consanguineus marito, eodem est affinis uxori; et vicissim (1).

197. *Ex quonam jure est inductum hoc impedimentum?*

Ex copula illicita certum est, esse inductum ex jure Ecclesiastico in omni gradu, et linea (2). Ex copula licita item de jure Ecclesiastico est inductum, excepto primo gradu lineae rectae, de quo litigant DD. an sit de jure naturae (3).

198. *Infidelis, qui habuit copulam cum alia Infideli, potestne contrahere matrimonium cum istius Infidelis sorore, matre, filia, si ambo veniant ad fidem?*

Si habuerit copulam fornicariam, potest; quia est de jure Ecclesiastico hoc impedimentum: quod non contrahitur in Infidelitate. Si habuerit copulam conjugalem, exurgit impedimentum; quia affinitas ex hac copula est vinculum naturale (4).

---

(1) Idest: eo affinitatis gradu consanguinei mariti distant ab ejus uxore, quo gradu distant a marito; et e contrario. Ideoque affinitas contrahitur inter virum, et consanguineos uxoris; et inter uxorem, et consanguineos viri: etiamsi sint illegitimi, adulterini, spurii, naturales. Hine inter consanguineos viri, et consanguineos mulieris non adest affinitas; quia affinitas non parit affinitatem ex Lateranensi IV. et expresse habetur in cit. cap. *non debet*. Vide Sanchez de Matrim. L. 7. Disp. 65.

Fidelis habens copulam fornicariam cum Infideli non potest matrimonium contrahere cum consanguineis fidelibus istius Infidelis usque ad secundum gradum; dummodo copula fuerit habita tempore, quo consanguinei Infidelis erant Fideles.

(2) L. *Non facile* D. de gradu affinit.

(3) Pontas docet esse de jure naturae afferendo illud Apostoli 1. ad Corinth. de incestuoso cum noverca: *omnino auditur inter vos fornicatio, et talis, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui quis habeat.* Contrarium sentientes dicunt, hoc primo fuisse prohibitum in Concilio Arelatensi.

(4) Vide Sanchez de matrim. L. 7. disput. 65.

De impedimento impotentiae.

199. *Quid est impotentia?*

Est illa, qua copula maritalis nequit haberi apta ad generationem prolis (1).

200. *Quotuplex est impotentia?*

Multiplex est: absoluta, vel respectiva. Prima habetur, quando est talis respectu omnium; secunda, quandò respectu alicujus est talis. Deinde perpetua, et temporalis: perpetua, quae nequit tolli sine miraculo, vel sine peccato, vel sine periculo vitae; temporalis, quae potest tolli mediis licitis, et ordinariis, sive natnralibus, sive supernaturalibus. Denique antecedens, et subsequens, seu superveniens. Antecedens est illa, quae aderat ante matrimonii contractionem; subsequens est, quae advenit post matrimonii contractionem.

201. *Quaenam impotentia est impedimentum dirimens matrimonium?*

Impotentia perpetua, et antecedens. Hoc autem impedimentum est de jure naturae (2), et Ecclesiastico.

202. *Quomodo censenda sit impotentia, si dubitetur, an antecesserit matrimonium vel subsecuta fuerit?*

Censendum est praecessisse matrimonium, quando copula nullo modo haberi potest.

203. *Quid si dubitetur, an sit perpetua, vel temporalis?*

Si hoc dubium sit ante matrimonium, non licet sub gravi matrimonium contrahere. Si postea, et tunc couceditnr ab Ecclesia triennium ad experientiam (3).

---

(1) In titulo de frigidis, et malefic.

(2) Cap. *Fraternitas* 6. tit. cit. Quia etsi usus matrimonii non sit de ejus essentia, tamen potentia ad usum est ipsi essentialis, quatenus necessaria ad finem essentialem matrimonii ex D. Thom. in 4. dist. 34. q. unica a. 2. ad 1. Hinc impotentia temporalis non dirimit matrimonium: ex cit. cap. Item nec impotentia subsequens. Can. *Hi qui* 25. caus. 32. q. 7.

(3) Cap. *Laudabilem* 5. de eodem tit. Hinc conjuges

204. *Estne validum matrimonium inter impotentes ad gignendum, sed non ad coeundum?*

Maxime; quia generatio est accidentalis matrimonio, stante potentia ad copulam (1).

205. *Matrimonium initum ab impuberibus estne nullum ex impotentia?*

Maxime; dummodo malitia non suppleat aetatem: quatenus jam sint apti ad generationem (2).

206. *Matrimonium contractum ab Eunucho, vel a Spadone estne validum* (3)?

Si a Spadone contrahitur, validum est; quia potest emittere semen prolificum. Contractum ab Eunucho, est nullum ex contraria ratione.

207. *Matrimonium declaratum nullum ex impotentia, estne nullum, si revera ista putata impotentia desit?*

Minime. Nam Ecclesiae judicium nitebatur falso supposito, quod in foro conscientiae veritati debet cedere (4).

---

post matrimonium contractum si evaserint impotentes, possunt habere inter se tactus, oscula etc. in honestis; dummodo non sit periculum pollutionis. Actus etiam turpes sunt permissi, si adsit prudens spes ad perficiendam copulam, et adhibeantur ad conatum copulae; etiamsi sequatur pollutio, quia tunc ea esset per accidens.

(1) Hinc inter senes est validum matrimonium.

(2) Nam si hac aetate sint apti ad generationem, idest ad perfectam copulam, tunc ex jure Canonico cap. *De litteris*, et ex cap. *Tuae nobis* de Despons. impuber. est validum matrimonium. Si vero non sint apti, hoc matrimonium resolvitur in sponsalia; quia valet, quantum valere potest. Cap. *Si infantes* unic. de despons. impuber. Si vero sint infantes, et ne sponsalium quidem vim habet hoc matrimonium.

(3) Eunuchus est ille, qui caret utroque teste: Spado, qui uno caret. Hermaphroditus, qui pollet utroque sexu. Matrimonium contractum ab Hermaphrodito, an sit validum, docent DD. esse validum in sexu, quo ille magis pollet.

Utrum dentur veri Hermaphroditi: dubium agitat DD. in rebus physiologicis.

(4) Citato cap. *Laudabilem*, et aliis.

De impedimento clandestinitatis.

208. *Quandonam habeatur impedimentum Clandestinitatis?*

Quando matrimonium celebratur sine solemnitatibus a jure requisitis.

209. *Quotuplex esse potest matrimonium Clandestinum?*

Duplici modo: proprie, et improprie. Proprie clandestinum est, quando non celebratur coram Parocho, et duobus testibus; improprie est, quando celebratur absque denuntiationibus.

210. *Matrimonium clandestinum estne validum?*

Proprie clandestinum est nullum in locis, in quibus viget decretum Tridentini de clandestinitate (1). Improprie clandestinum est validum, sed illicitum.

211. *Matrimonium clandestine celebratum estne validum, quando ob necessitatem haberi non potest Parochi, et testium praesentia?*

Vel Parochus non potest haberi, quia in illa regione non habetur Paroecia, valet matrimonium; quia ubi non adest Paroecia, non habetur promulgatio Tridentini de clandestinitate. Vel secus, et tunc est nullum: etiamsi hoc fiat ex ignorantia invincibili; quia est lex irritans in praesumptione periculi.

212. *In illis locis, ubi viget lex Tridentini de clandestinitate valetne matrimonium clandestine celebratum a peregrino, in cujus territorio ista lex non viget?*

Minime. Nam unusquisque debet stare quoad conditiones, et solemnitates contractuum ad leges loci, in quo celebrantur contractus.

213. *Qui exit a proprio territorio, in quo viget haec lex Tridentini, et matrimonium clandestine celebrat in alio loco, ubi non viget, estne validum hujusmodi matrimonium?*

---

(1) Ex Tridentino sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. et ex declaratione S. C. an. 1605. et ex Constit. Urbani VIII. *Exponi nobis.*

Si hoc faciat in fraudem, matrimonium est nullum (1).

214. *Quinam Parochus debeat matrimonio assistere?*

Proprius Parochus domicilii, vel quasi-domicilii alterutrius contrahentium (2). Hinc Parochus conjungens, aut benedicens sponsos alterius Paroeciae incidit in suspensionem, donec absolvatur ab Ordinario illius Parochi, qui matrimonio assistere debebat (3). Si vero sit Religiosus, incidit in excommunicationem Papae reservatam (4).

215. *Coram quo Parocho debent vagi matrimonium celebrare?*

Post diligentem inquisitionem, et licentiam Ordinarii debent celebrare coram Parocho illius loci, in quo inveniuntur (5).

---

(1) Ex declaratione S. C. ab Urbano VIII. approbata in Const. *Exponi nobis*. At si in illum locum se contulerit, et fixerit domicilium ea determinata intentione, ut matrimonium clandestine contrahat, valide contrahit: ex eadem laudata declaratione.

(2) Ex Tridentino sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. et ex declaratione Sacrae Congr. apud Pagnanum, et Sanchez.

Nomine proprii Parochi venit Superior, uti Summus Pontifex, Episcopus, Vicarius Capitularis, Vicarius generalis, Archiepiscopus in Dioecesi Suffraganea in actu visitationis. Nomine domicilii, vel quasi-domicilii quid venit: vide num. 21. de Legibus. Pro contractione matrimonii in quasi-domicilio requiritur ante contractionem saltem mora unius mensis ex Bened. XIV. in responsione ad Antonium Archiepiscopum Goae, in qua refertur declaratio S. Congregationis circa matrimonium duorum Trajectentium: uti videre est in secunda Appendice tomi IV. Bullarii ejusdem Bened. XIV.

(3) Ex Tridentino sess. cit. cap. 1.

(4) Ex Clementina *Religiosi* 1. de Privilegiis.

(5) Ex Tridentino sess. cit. cap. 7. Sciendum vero est, quod si quis duo domicilia habeat, potest coram Parocho alterutrius matrimonium contrahere: apud Ferraris V. Matr. n. 96. Expedit tamen, ut Parochi invicem conveniant. Practerea Benedictus XIV. cum esset Archiepiscopus Bononiensis, decretis S. Congreg. insistens in Institutione 33. pro sua Dioecesi statuit: quod inclusi in carceribus pro poena, sive

216. *Parochus debetne esse Sacerdos, ut valide assistat matrimonio?*

Minime (1): etsi alii contrarium sentiant. At non potest ad idem munus delegari, nisi Sacerdos: ut clare patet ex Tridentino loco cit.

217. *Valetne matrimonium coram Sacerdote putato Parocho?*

Maxime: quando adest titulus coloratus, et error communis.

218. *Valetne matrimonium coram Parocho per vim adhibito, vel affectante non videre, non audire?*

Maxime; quia Parochus debet tantum esse praesens, ut testis auctorizabilis.

219. *Parochus excommunicatus, irregularis, suspensus, interdictus, potestne valide assistere matrimonio?*

Si est tolleratus, per omnes Theologos valide assistit. Si est vitandus, probabilius etiam valide assistit; quia assistentia non est actus jurisdictionis, sed testimonii. At non potest delegare alteri hanc assistentiam, quia hoc est jurisdictionis actus (2).

220. *Num peccet hujusmodi Parochus matrimonio assistens?*

Si est tolleratus non petitus, vel vitandus, quae-

---

perpetuo, sive ad tempus damnati, debent contrahere coram Parochi loci, in quo sunt carceres. Infirmi in Xenodochiis in vitae periculo coram Capellano ex Episcopi licentia. Puellae spuriae in Hospitio degentes coram Parocho loci, ubi est Hospitium; et item puellae in aliis Hospitiis servatae, si ab Hospitio alantur. Virgines in Monasteriis educandae coram Parocho loci, in quo adest Monasterium: modo domicilium non habeant sive paternum, sive maternum, sive fraternum; quia tunc contrahere debent coram Parocho istiusmodi domicilii. At hoc in casu denuntiationes sunt faciendae in utraque Paroecia. Item de ancillis, quae apud dominum morantur, et habitant.

(1) Hoc patet ex declaratione S. C. in Ambulensi 1593. Decembr.

(2) Catholicus Parochus licite potest assistere tamquam testis auctorizabilis matrimonio Haereticorum, justa urgente causa.

stio inter DD. Si sit tolleratus, et est petitus, non peccat.

221. *Quinam possunt esse testes matrimonii?*

Omnes; dummodo intelligant quid faciunt (1).

222. *Praesentia Parochi, et testium debetne haberi simul?*

Maxime: et physice, et moraliter (2).

223. *Quot denuntiationes requirantur ad matrimonium?*

Tres in Paroecia contrahentium faciendae inter Missarum solemnia tribus diebus festivis continuis (3).

224. *Estne grave peccatum omittere denuntiationes omnes, vel aliquam?*

Stante justa urgente causa non est peccatum, quando recursus non potest haberi ad Superiorem. At denuntiationes praetermissae debent suppleri ante matrimonii consummationem. Secus est peccatum laethale contra grave praeceptum Ecclesiae.

225. *Si post denuntiationes matrimonium differatur, debentne aliae fieri denuntiationes?*

Ex Ritnali Romano post duos menses sunt repetendae ob aliquod impedimentum superventurum. Si vero mutetur Paroecia, et in nova jam moratus est unus contrahentium non minus quatuor mensibus, sunt denno in ista Paroecia faciendae denuntiationes. Secus, una denuntiatio facienda in nova, et duae in veteri Paroecia: ex Synodo Neap. Pignat.

226. *In quam poenam incidit Parochus omittens denuntiationes?*

De jure communi est suspendendus per triennium ab officio (4). De jure Dioecesis Neapolitanae

(1) Ex Tridentino nulla qualitas in testibus requiritur.

(2) Nimirum necesse est, ut eodem tempore pariter parochus assistat, et testes advertant ad matrimonii contractionem.

(3) Ex Tridentino sess. cit. c. 1. Quod autem fieri debeant in Paroecia utriusque contrahentium, subintelligitur, si Paroeciae sint diversae. Debent fieri tribus diebus festivis continuis quidem, sed non immediate continuis. Potest Episcopus justam ob causam in his dispensare.

(4) Cap. *Cum inhibitio* 3. ult. de Clandest. despons.

incidit in poenam carceris arbitrio Ordinarii, et in poenam quinquaginta ducatorum ipsi Parochiali Ecclesiae applicandorum (1).

227. *Quinam tenentur manifestare impedimenta matrimonii?*

Unusquisque (2) tenetur manifestare impedimenta tam dirimentia, quam impedientia, quae scit: etiamsi sciat sub secreto naturali, aut sub juramento non revelandi. Qui secus agit, in Dioecesi Neap. incidit in poenam excommunicationis nemini reservatae: ex eadem Dioecesana Synodo. Nam agitur de valore Sacramenti, et de bono communi (3).

De impedimento raptus.

228. *Quid est Raptus?*

Est violenta abductio foeminae de loco in locum causa contrahendi matrimonium (4).

229. *Valetne matrimonium contractum a raptore cum rapta?*

Minime: etsi rapta consensum dederit: ex Tridentino sess. 24. cap. 6. Quod, si postea in loco tuto ponatur foemina, et libere in matrimonium consentiat, tunc erit validum.

230. *In quam poenam incidunt raptores?*

---

(1) Contrahentes sine denuntiationibus, et consulentes, auxiliantes, et testes scienter praesentes ex Synodo Dioecesis Neapolitanae incidunt in excommunicationem nemini reservatam. Parochus matrimonio hujusmodi assistens, dummodo de industria id faciat, ex eadem Synodo incidit in suspensionem ab officio per triennium, et in poenam solutionis centum ducatorum distribuendorum puellis dotandis illius loci.

(2) Etiam ipsi contrahentes.

(3) Et ad hoc tenetur, etiamsi non possit probari impedimentum. At quando impedimentum proveniat ex delicto, cujus manifestatio parit infamiam, debet sciens secrete monere contrahentes, ut se abstineant a contractione. Si vero hoc non proficiat, debet Parocho manifestare.

(4) Haec est raptus definitio juxta jus canonicum. Secundum jus civile: est abductio foeminae de loco in locum ipsa invita, vel parentibus, causa explendi libidinem.

De jure Canonico incidunt in excommunicationem nemini reservatam ipso facto, et in impedimentum dirimens matrimonium; post sententiam incidunt in perpetuam infamiam, in poenam dotandi raptam, in inhabilitatem ad omnes dignitates; et si sint clerici, decidunt de proprio gradu (1). De jure Civili in poenam capitis, et confiscationis bonorum omnium (2).

231. *Quaenam conditiones requirantur in raptu ad incurrendas poenas canonicas?*

Requiritur violenta abductio foeminae de loco in locum; et ut fiat causa contrahendi matrimonium.

232. *Quid si sponsus rapuerit sponsam, quae volebat injuste a sponsalibus resilire?*

Etiam inducitur impedimentum raptus, et matrimonium nulliter contrahitur.

233. *Valetne matrimonium contractum a mandatario cum puella ab ipso rapta ex vi mandati?*

Maxime: quia puella non est rapta a mandatario causa contrahendi cum ipso (3).

234. *An easdem poenas juris Canonici incurrat foemina, quae rapuerit virum?*

Minime. Nam Tridentinum statuit poenas contra raptores, non contra raptrices.

---

(1) Ex Tridentino sess. cit. cap. 6. Ex eodem Tridentino raptor debet dotare, sive raptam uxorem duxerit, sive non duxerit: quae dos statuenda est arbitrio judicis Ecclesiastici. Sicut etiam in omnes poenas, excepto impedimento, et poena dotandi, incidunt praestantes auxilium, consilium, favorem.

(2) Ex Codice poen. in Regno Neapolitano raptores incidunt in poenam relegationis par. 2. art. 336.

(3) Si puella fuerit rapta ipsa consentiente, non habetur raptus secundum jus Canonicum; sed tantum secundum jus Civile: quod cognoscit raptum tam invita puella, quam invitis parentibus.

De dispensatione in supradictis impedimentis.

235. *Quisnam possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonii ?*

Impedimenta de jure Ecclesiastico potest Summus Pontifex dispensare ; quia qui condit legem , potest eam dispensare. Impedimenta de jure Divino etiam potest Summus Pontifex urgente necessitate , ex praesumpta Dei voluntate , quando impedimenta hujusmodi originem ducunt a voluntate humana (1).

236. *In quibus impedimentis potest dispensare Cardinalis Poenitentiarius ?*

In omnibus impedimentis occultis in foro conscientiae potest dispensare pro matrimoniis contrahendis , exceptis dumtaxat impedimentis affinitatis ex copula licita , cognationis carnalis , et spiritualis. Pro matrimoniis jam contractis potest etiam in ceteris impedimentis occultis , excepto primo et secundo gradu , et tantum secundo consanguinitatis , vel affinitatis ex copula licita. Potest etiam dispensare in impedimentis publicis consanguinitatis , aut affinitatis in tertio , et quarto gradu nulliter dispensatis a Dataria causa subreptionis vel obreptionis ; dummodo non fuerit ex expressione falsae copulae (2).

237. *Potestne Episcopus aliquando in impedimentis matrimonii dispensare ?*

Maxime : in impedimentis occultis post contractionem , et consummationem matrimonii detectis ; quando concurrunt sequentes conditiones : 1. ut matrimonium sit celebratum in faciem Ecclesiae praemissis denuntiationibus ; 2. ut adsit bona fides saltem ex parte unius (3) ; 3. ut Partes sine scandalo

(1) Ex D. Thoma in 4. dist. 38. q. 1. a. 4. : uti in voto.

(2) Sic omnia sunt statuta ex Bulla Innocentii XII. *Romanus Pontifex*, et ex Benedicti XIV. Bulla : *Pastor bonus.* Relege Institutionem 87. laudati Benedicti XIV.

(3) Ad malam fidem ex Salmanticensibus non solum requiritur , ut contrahens sciat factum , puta adesse affinitatem ; sed etiam , ut sciat jus irritans tale matrimonium.

separari nequeant (1); 4. ut non possit haberi facilis recursus ad Pontificem ex rationabili causa.

238. *Danturne casus, in quibus potest Episcopus etiam dispensare ante matrimonii contractionem?*

Maxime in impedimento occulto: quando stante urgentissima causa adest difficilis accessus ad Pontificem, et periculum in mora (2).

239. *Potestne Episcopus dispensare in impedimentis supervenientibus matrimonio, puta ob affinitatem, cognationem spiritualem, votum simplex castitatis?*

Maxime: hisce in casibus potest dispensare ex recepta consuetudine ad petendum debitum conjugale.

240. *An ad convalidandum matrimonium nullum requiratur denuo praesentia Parochi, et testium?*

Vel matrimonium fuit nullum impedimento clandestinitatis, procul dubio requiritur. Vel sit aliud impedimentum, et hoc fuerit notum Parocho, et testibus, quaestio (3). Secus, non requiritur.

241. *An requiratur novus consensus in convalidatione matrimonii?*

Maxime; quia consensus requiritur de praesenti (4).

---

(1) Vel secundum aliquos sine gravissimo damno.

Hanc facultatem Episcopus habet tantum in foro conscientiae ex delegatione Summi Pontificis. Vide D. Lig. lib. 6. n. 1123.

(2) Ut est, quando imminet mors alicujus, et est necessarium matrimonium ad legitimandam prolem, vel ad consulendum honori puellae etc. Vel quando omnia sunt parata ad matrimonium, et in confessione contrahens manifestat factum, ex quo cognoscitur a Confessario impedimentum; quin tamen matrimonium possit differri ob grave damnum. In quo casu secundum graves Theologos impedimentum potest etiam dispensari a Parocho, vel a Confessario, quando non potest haberi recursus ad alium Superiorem. At post contractionem, addunt nonnulli, dispensatio per legitimum Superiorem quaerenda est. Adi D. Lig. lib. 6. n. 613.

(3) Ex D. Ligorio non requiritur.

(4) Litigant DD. an debeat manifestari impedimentum Parti insciae, ut apponat consensum. Attamen ex stylo Sacrae Poenitentiariae semper debet Pars inscia moneri de nul-

242. *Ad validam dispensationem debentne esse verae omnes causae expositae?*

Vel causae fuerunt expositae per modum unius, ita ut ex illis efficiatur una causa sufficiens, tunc omnes debent esse verae; aliter est nulla dispensatio. Vel unaquaeque est sufficiens ad obtinendam dispensationem, necesse non est, ut omnes sint verae (1).

243. *Quomodo in petenda dispensatione manifestanda sint impedimenta?*

Sunt exprimenda omnia impedimenta illi matrimonio obstantia. Ideoque si adsint impedimenta affinitatis, et publicae honestatis, criminis, et raptus, etc. sunt omnia exponenda (2). Item exprimendum est: an cognatio spiritualis sit ex Paternitate, vel ex Compaternitate (3): an publica honestas proveniat

---

litate matrimonii, ut apponat novum consensum. Varios modos exigendi novum consensum docent Theologi. Lege Ben. XIV. in Instit. 87. Vide in tertia Parte hujus Epitomes in App. VI. n. 17.

(1) An requiratur causa ad validam dispensationem, et quando requiratur, dictum est in Tractatu de Legibus n. 66. usque 70.

(2) Non sufficit impedimentum seorsim in diversa petitione exponi, sed debent simul; quia impedimenta conjuncta difficiliorem reddunt dispensationem. Singula autem impedimenta exprimenda sunt, etiam ejusdem speciei. Si vero alias dispensatio alicujus impedimenti obtenta fuerit; et postea alia dispensatio de aliquo novo impedimento petatur; non est necessarium hoc exponere; dummodo non sit de impedimento criminis. Quod si impedimenta conjunctim exposita majorem efficiant repugnantiam ad matrimonium contraheodum, secundum aliquos DD. conjunctim debent exponi. Tandem si ex impedimentis unum sit publicum, et alterum occultum; prius debent ambo Poenitentiariae manifestari, et postea, obtenta dispensatione a Poenitentiaria de impedimento occulto, peti debet a Dataria dispensatio de publico impedimento: uti docent DD. Vide in Tertia Parte hujus Epitomes in Appendice VI. n. 14.

(3) Paternitas est affinitas baptizantis, vel patrini cum filiolo: compaternitas est affinitas genitorum filioli cum patrino, vel baptizante.

ex sponsalibus, vel ex matrimonio: an crimen sit ex adulterio vel ex homicidio cum conspiratione, vel ex utroque.

244. *In petenda dispensatione de impedimento affinitatis, vel consanguinitatis suntne exprimendi gradus, et linea?*

Maxime. In inaequalitate vero gradunm sufficit ad validitatem exprimi gradus remotior; et obtentis postea litteris Apostolicis declaratoriis super propinquiori, satis est ad licititatem; dummodo propinquus gradus non sit primus, vel secundus consanguinitatis, vel affinitatis (1).

245. *Consanguinei, et affines in petendo dispensationem debentne exprimere copulam inter se habitam?*

Si fuerit habita copula animo facilius impetrandi dispensationem, hoc in casu debent exprimere; secus est nulla dispensatio. Si fuerit habita sine hac intentione, etiam debent exprimere ex communiori sententia, ut valeat dispensatio (2).

246. *Quid si ante executionem obtentae dispensationis consanguinei vel affines contraxerint matrimonium, vel carnaliter se cognoverint?*

Etsi sit quaestio, an indigeant isti nova dispensatione, tamen ex communiori sententia innixa declaratione S. C. dicendum est, istos nova indigere dispensatione (3).

---

(1) Nam in hujusmodi primo gradu consanguinitatis vel affinitatis non conceditur dispensatio; in secundo est nulla; in aliis gradibus est illicita sine dictis litteris declaratoriis; uti constat ex Const. Pii V. *Sanctissimus*: in qua statuitur, Pontificem nolle dispensare in primo hujusmodi gradu. Reliquum constat ex Brevi Bened. XIV. *Etsi matrimonialis*. Vide D. Ligorium lib. 6. n. 1136. Advertendum est, quod in gradu mixto debeat exprimi sexus, qui est in primo gradu. Ita etiam debet exprimi, an affinitas sit ex copula licita, vel illicita.

(2) Ex D. Ligorio, lib. 6. n. 1135. 1 qui docet, non esse amplius dubitandum; quia sic statutum est in Bulla citata *Pastor bonus* §. 41.

(3) Ex D. Ligorio Lib. VI. n. 1141., qui affert verba

TRACTATUS

DE CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS.

Q. 1. *Quot sunt poenae canonicae?*

Sunt septem: excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, depositio, degradatio, et infamia. Tres primae sunt censurae, aliae mere poenae.

2. *Quid et quotuplex est censura?*

Censura est poena spiritualis, et medicinalis pro culpa inflicta per Ecclesiasticam potestatem imposita, privans hominem usu aliquorum bonorum spiritualium, ut Fidelis a contumacia desistat. Multiplex est: a jure et ab homine. Prima, quae est lata per legem, aut statutum generale perpetuum; secunda quae fertur per praeceptum temporaneum (1): quae quidem potest esse per sententiam generalem in aliquos indeterminate prolatam; vel per sententiam particularem determinate in aliquem. Deinde alia est latae sententiae, alia ferendae sententiae: prout infli-

declar. S. C. mense Maji 1635. At dicit, probabilius secundum Sanchez non requiri, si post executionem habeant copulam.

Dispensati de aliquo impedimento affinitatis ex copula illicita, si postea ejusmodi copulam iterum habeant ante executionem dispensationis, non indigent nova dispensatione. Si post executionem, litigant DD.; sed D. Ligorius declarationem affert S. Poenit., ex qua constat, non indigere nova dispensatione. Loco cit. n. 1140.

(1) Uti esset per sententiam Superioris in aliquem contumacem, ut obedientia ei exhibeatur. Censura a jure non cessat morte ferentis; censura ab homine, cessat, si nondum sit contracta.

gitur censura vel ipso facto, vel post sententiam judicis (1).

3. *Quinam habent jus ferendi censuras?*

Omnes, qui habent spiritualem jurisdictionem in foro externo, aut ordinariam, aut delegatam. At ferens debet esse clericus, rationis compos, et nulla censura irretitus (2).

4. *Quinam possit ligari censura?*

Qui est viator, baptizatus, subditus, rationis, et doli capax, delinquens, et contumax. Ligari autem potest nova censura; et toties, quoties committit delictum.

5. *Num ligetur censura subditus delictum committens extra territorium ferentis censuram?*

Si censura est a jure, non ligatur; si ab homine, ligatur; quia praeceptum sequitur personam ubicumque morantem. Item ligari potest censura, quando delictum est uti commissum in proprio territorio (3).

6. *Liganturne censura mandantes, consulentes delictum?*

Minime; nisi expresse declarentur in statuto. Sicut etiam Episcopi, Episcopis superiores, interdicto et suspensione non ligantur, nisi expresse declaratum fuerit. Ex cap. *Quia periculosum* de sent. excom. in 6. Reges, Imperatores excluduntur, quando non expresse nominantur, ex usu Tridentini.

7. *Quaenam sit causa materialis censurae?*

Est peccatum grave, externum, completum, et

---

(1) Verba, quibus dignoscitur censura latae sententiae, sunt: *statim*, *ipso facto*, *excommunicavimus*; si verba sint: *excommunicetur*, *suspendatur*, *excommunicabimus*, *excommunicationi subjaceat etc.* indicant censuram esse ferendae sententiae. In dubio censetur esse ferendae sententiae; quia poenae sunt restringendae.

(2) Si ex tali censura careat jurisdictione spirituali: secus, esset tantum illicita prolatio censurae.

(3) Uti esset, quando sub censura debet residere in loco beneficii, vel assistere; et longe abest.

cum contumacia conjunctum (1).

8. *Potestne ferri censura ob delictum jam commissum?*

Si nullo modo adhuc perseverat, non potest; sicut etiam non potest pro delicto mere interno: scilicet quod nullam connexionem habet cum actu externo. Pro delicto externo occulto, potest.

9. *Num incidat in censuram, qui ante consummationem delicti confitetur, et absolvitur?*

Litigant DD. At in reservationem peccati non incidit; quia jam est ablatum peccatum.

10. *Quid requiratur, ut rite censura feratur?*

Ut praecedat trina monitio, vel una pro tribus: dummodo hoc exprimatur; ut censura feratur in scriptis; ut exprimatur nomen ferentis, et deliquentis seu rei, causa, et species censurae; ut tradatur exemplar scripturae reo petenti (2). Censura autem potest esse nulla defectu vel ferentis, vel formae substantialis, vel causae.

11. *Quotuplici ex capite dari possit defectus causae?*

Triplici ex capite: scilicet, vel quando delictum non adest, et non probatur; vel quando delictum non adest, et probatur; vel quando delictum adest, et non probatur. In primo capite censura est nulla per omnes DD. (3).

12. *Quaenam sint causae excusantes a censura?*

Sequentes: ignorantia, metus gravis, impoten-

(1) Aliquando sufficit inchoatio delicti, si sic jura constituant: ut est in provocatione, acceptatione duelli, in mandato occisionis hominis Christiani per assassinium ex cap. *Pro humani* de homic. in 6.

(2) Ex cap. *Cum medicinalis* de sent. excom. in 6. Prima formalitas est essentialis; aliae non sunt ad validitatem, sed ad licititatem. Porro praedicta monitio tunc quidem est necessaria, quando censura infligitur ab homine pro delicto praeterito vel praesenti, in quo reus persistit; non vero quando infligitur a jure, vel ab homine pro culpa futura: quia ipsa lex, aut judicis praeceptum, est monitio.

(3) Potest infligi censura pro delicto alterius tantum in suspensione, et in interdicto generali.

tia, et consensus illius, in cujus favorem fuit lata censura. Contracta censura tantum per absolutionem tollitur (1).

De excommunicatione majori.

13. *Quid est excommunicatio?*

Est censura Ecclesiastica, per qnam homo Christianns a communione Ecclesiae separatur (2).

14. *Quinam sint effectus excommunicationis?*

Directi sunt: 1. privatio activa et passiva Sacramentorum; 2. privatio communium suffragiorum Ecclesiae; 3. privatio celebrationis, et assistentiae Divinorum officiorum; 4. privatio exercitii jurisdictionis spiritualis; 5. privatio communionis civilis cum Fidelibus; 6. privatio sepulturae Ecclesiasticae; 7. inhabilitas ad beneficia; 8. et nullitas gratiae acceptae a S. Sede tempore excommunicationis (3). Effectus excommunicationis indirecti sunt: 1. quod, si excommunicati exerceant Ordines sacros, incidant in irregularitatem; 2. si per annum insordescant in excommunicatione, possit procedi contra eos tamquam suspectos de haeresi (4).

15. *Quotuplicis generis sunt excommunicati?*

Duplicis generis: vitandi, et tollerati. Vitandi dicuntur illi, qni sunt nominatim declarati et publice denuntiati; vel sunt publici percussores clerici. Omnes alii dicuntur tollerati.

---

(1) Qui est censura ligatus, et non studet, ut absolvatur, peccat mortaliter ob voluntariam privationem bonorum spiritualium.

(2) Ex capite *Omnis Christianus*, caus. 11. q. 3. Excommunicatus separatur a communione externa, et mixta, non a pure interna; nempe a vinculo fidei, spei, et charitatis.

(3) Ex cap. *Dilectus*, de Rescriptis.

(4) Ex Tridentino, sess. 25, cap. 3.

De privatione activa, et passiva Sacramentorum.

16. *An excommunicatus possit valide, et licite Sacramenta administrare?*

In necessitate extrema tam tolleratus, quam vitandus valide et licite potest administrare Sacramenta necessaria (1). Extra hanc necessitatem, tolleratus valide administrat; et, si sit petitus, etiam licite: dummodo se disponat; vitandus vero illicite administrat, sed valide, excepto Sacramento Poenitentiae ex defectu jurisdictionis.

17. *Excommunicatus potestne valide, et licite recipere Sacramenta?*

Extra necessitatem tam tolleratus, quam vitandus illicite, sed valide recipit, excepto Sacramento Poenitentiae (2).

18. *Fidelis potestne recipere Sacramenta ab excommunicato?*

Stante justa causa, licite potest recipere a tollerato; a vitando non potest recipere extra extremam necessitatem: secus recipiens a vitando peccat graviter, et incidit in excommunicationem minorem. Praeterea sine necessitate recipiens Baptismum ab haeretico, sic declarato, incidit in irregularitatem. Recipiens Ordinem ab Episcopo vitando, incidit etiam in suspensionem a suscepto Ordine (3).

19. *Fidelis potestne administrare Sacramenta excommunicato?*

---

(1) Sacramenta necessaria sunt Baptismum, et Poenitentia. In defectu Poenitentiae, vel Extremae Unctionis ob absentiam Sacerdotis, potest Diaconus excommunicatus administrare Viaticum. An excommunicatus vitandus possit per metum gravem, quaestio.

(2) Si excommunicatus ob Clerici percussionem scienter recipiat Ordinem, est deponendus, si sit Clericus; si Regularis, incidit in suscepti Ordinis suspensionem: ex cap. *Cum illorum* de sent. excom.

(3) Ex can. *Qui in qualibet aetate* 10. caus. 1. q. 7., et cap. 1. et seqq. caus. 9. q. 1. desumunt DD.

Extra necessitatem extremam non potest administrare vitando; secus graviter peccat, et incidit in excommunicationem minorem, atque in interdictum ab ingressu Ecclesiae: quod si scienter, ac sponte administrat Sacramenta nominatim excommunicato a Papa, incurrit excommunicationem majorem Papae reservatam. Contra vero potest Sacramenta administrare excommunicato tollerato publice petenti; minime vero sub gravi potest administrare excommunicato tollerato occulte petenti.

De privatione suffragiorum communium Ecclesiae.

20. *Quid, et quotuplex est suffragium?*

Suffragium est quodcumque opus bonum proximo applicatum ad salutare animae ejus auxilium, sive ex opere operato, sive ex opere operantis. Et duplex est: commune, et privatum. Primum est; quod nomine Ecclesiae ab ejus ministris offertur: uti Sacrificium, publica oratio etc. Secundum est, quod privatim offertur ab aliqua particulari persona.

21. *Quibus suffragiis privatur excommunicatus?*

Suffragiis privatis nemo privatur; communibus, certum est, vitandum privari (1). An etiam privetur tolleratus, quaestio.

22. *Applicans suffragia pro excommunicato, peccatne, et incidit in poenam?*

Vel applicat privata, non peccat, neque in poenam incidit; vel communia pro vitando, graviter peccat, et incidit in excommunicationem minorem. An peccet applicando communia pro tollerato, quaestio ut supra (2).

---

(1) Cap. *Nobis*, et cap. *Sacris* 38. de sent. excomm.

(2) Litigant Doctores, utrum possint applicari communia pro vitando jam emendato, et facto poenitente, cujus proinde desinit contumacia.

De privatione Divinorum officiorum.

23. *Quid importat nomen Divinorum officiorum?*

Nomine hujusmodi officiorum veniunt omnes sacrae functiones, seu caeremoniae, quae ex Christi, et Ecclesiae institutione a ministris Ecclesiae ad id ordinatis publice, et solemniter fiunt. Porro excommunicati omnes his functionibus sub mortali prohibentur assistere (1).

24. *Excommunicatus vitandus inciditne in aliquam poenam, si expulsus ab Ecclesia, dum Divina officia celebrantur, nolit exire?*

Maxime: in excommunicationem Papae reservatam. Hinc Fideles ab Ecclesia recedere debent; Sacerdos ab altari descendere, si non adhuc inceperit canonem; si canonem inceperit, debet, peracta sumptione, reliqua in sacristia perficere. Secus vero, mortaliter peccant, et incidunt in excommunicationem minorem. Ex Clement. *Gravis* de sent. excom.

De privatione communionis civilis cum Fidelibus.

25. *Quinam excommunicatus privatur communione civili cum Fidelibus?*

Omnis, sive vitandus, sive tolleratus (2).

26. *Cum quonam excommunicato non possunt Fideles communicare?*

Cum excommunicato vitando (3): cum quo Fidelis communicans incurrit excommunicationem minorem, et peccat quidem graviter, si communicat in divinis; peccat leviter, si communicat in humanis. Insuper communicando cum excommunicato vi-

---

(1) Cap. *Significavit* de sent. Excomm. Peccant leviter, si assistant in parte non notabili Divinis officiis. Possunt in Ecclesia orare, audire verbum Dei etc.; dummodo non formaliter Divinis Officiis assistant.

(2) Cap. *Nuper* de sent. excomm, et ex Conc. Constan.

(3) In communicatione cum tollerato potest etiam dari peccatum vel ratione scandali, vel periculi.

tando in eodem crimine, ob quod fuit excommunicatus, peccat graviter, et incurrit in excommunicationem majorem (1). Clericus scienter et sponte communicans in divinis cum nominatim excommunicato a Papa incurrit in excommunicationem Papae reservatam, uti diximus n. 19. (2).

27. *In quibus casibus prohibetur Fidelibus communio cum vitando?*

In sequentibus in hoc versiculo contentis:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur (3).

28. *In quibus casibus liceat communicare?*

In hisce sequenti versiculo expressis:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse (4).

De privatione jurisdictionis.

29. *Excommunicato licetne exercere ea, quae sunt jurisdictionis?*

Tollerato non petito (5), et vitando non licet. Vitandus vero semper invalide exercet (6).

30. *Excommunicatus confertne valide beneficium?*

Tolleratus valide confert; quia non privatur jurisdictione. Vitandus vero invalide confert, ex opposita ratione.

31. *Estne valida collatio beneficii facta excommunicato?*

Nulla est collatio facta excommunicato, sive vitando, sive tollerato. Insuper collator beneficium scienter conferens vitando, praeter excommunicatio-

(1) In cap. supr. cit. *Nuper*.

(2) Ex Cap. *Significavit*, 18. de sent. excomm.

(3) Scilicet collocutio, preces, salutationes, societas, et unio in cibo et potu: ex can. *Excommunicatos*, caus. 11. q. 3.

(4) Idest: quaevis magna utilitas vel temporalis, vel spiritualis; lex conjugii; subjectio: uti filii ad patrem, servi ad dominum; ignorantia non affectata; et omnis necessitas: ex can. *Quoniam multos* caus. 11. q. 3.

(5) Tolleratus, quando est petitus, potest exercere.

(6) Cap. *Ad probandum* 24. de sent. et re judiciaria.

nem minorem incidit etiam in suspensionem latae sententiae a collatione beneficiorum (1).

De privatione sepulturae Ecclesiasticae.

32. *Quinam excommunicatus privatur sepultura Ecclesiastica ?*

Tam vitandus, quam tolleratus. Tolleratus vero, si dederit signa poenitentiae, non privatur (2). Excommunicatus autem vitandus, qui non dederit signa poenitentiae, si fuerit sepultus, exhumandus est (3).

33. *In quam poenam incidit, qui excommunicatum vitandum in loco sacro sepelit ?*

Incidit in excommunicationem majorem, absolvendam arbitrio Episcopi, praestita satisfactione (4).

De Excommunicatione minori.

34. *Quid est excommunicatio minor ?*

Est censura Ecclesiastica, qua homo christianus privatur secundum quid communione fidelium.

35. *Quinam sint effectus hujusmodi excommunicationis ?*

Unus est directus, duo indirecti. Directus est privatio passiva Sacramentorum sub gravi. Primus in-

(1) Cap. *Postulasti* 30 de Clericis excom. minist. Litigant DD. an acta judicis excommunicati sint nulla. Sciendum est, Vicarium Episcopi excommunicati non posse exercere suam jurisdictionem; quia unum tribunal cum Episcopo constituit: nec posse Delegatum, quando delegans fit excommunicatus; dummodo res sit adhuc integra: ex Laymann, Bonacina.

(2) Cap. *Sacris* de sepult.

(3) In eodem cap.

(4) Ex Clementina 1. de sepulturis. In eamdem poenam incidit, qui procurat, ut sepeliatur: ex Glossa in eadem Clementina. Ex Cajetano, et Bonacina ad hanc poenam incurrendam requiritur: ut scienter sepeliat, idest sciens esse mortuum in excommunicatione; ut sepeliat propriis manibus. Item ex citata Clem. dicendum est: si sepeliatur interdictus vitandus, vel non interdictus in loco specialiter interdicto,

directus est privatio activa Sacramentorum saltem sub levi (1). Secundus indirectus est, quod electio et collatio beneficii scienter facta hujusmodi excommunicato est infirmanda (2).

36. *A quonam potest absolvi haec excommunicatio?*

In foro externo ab Episcopo; in interno a quocumque Confessario (3).

De Excommunicatione ob Clerici percussionem.

37. *Quid et quotuplex est percussio clerici?*

Est violenta, et injuriosa manuum injectio in clericum, vel monachum. Quae triplex esse potest: levis, gravis seu mediocris, et enormis. Prima habetur, quando nullum remanet vestigium percussionis; secunda, quando aliquod remanet vestigium; tertia, quando habetur mors, vel gravis vulneratio, aut mutilatio (4).

38. *Quaenam sit poena contra hujusmodi percussores?*

Est excommunicatio latae sententiae Papae reservata: in quam incurrunt etiam mandantes, consulentes, ex officio non impedientes, ratum haben-

---

(1) Quia potest esse sub gravi, si excommunicatus indigne administret: uti si esset ligatus tali excommunicatione ob communicationem in divinis.

(2) Haec scientia debet esse ex parte recipientis. Ideoque iste excommunicatus ignoranter recipiens beneficium non potest privari; dummodo non sit ignorantia affectata. Omnia patent ex cap. *Si celebrat* 10. de clerio. excomm. ministran.

(3) Cap. *Nuper*, de sent. excomm.

(4) Ex Can. Lateran. II. *Si quis suadente*, can. 11. caus. 17. q. 4. *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit etc.* Hinc requiritur: 1. ut sit violenta et injuriosa manuum injectio, sive immediate, sive mediate: dummodo sit actio physice attingens Clericum; 2. ut fiat per actionem ex se graviter peccaminosam. At apud D. Lig. semper, ac percussio existimetur graviter injuriosa, ratione reverentiae Clerico debitae, sufficit ad incurrendam excommunicationem; etsi percussio sit levissimus tactus. L. 7. n. 273.

tes. Qui quidem sunt vitandi, si delictum ita sit notorium, ut nulla tergiversatione excusari possit (1).

39. *Quid requiratur, ut ratam habens clerici vel monachi percussionem in excommunicationem incidat?*

Requiritur: 1. ut percussio facta sit nomine sui; 2. ut ratihabitio sit exterius manifestata; 3. ut tempore percussionis ratum habens potuisset saltem habitualiter dare mandatum, aut consilium (2).

40. *Quinam veniunt nomine clerici, vel monachi?*

Nomine Clerici veniunt omnes, saltem prima tonsura initiati. Nomine monachi veniunt omnes Regulares professi utriusque sexus, etiam Novitii, Conversi; insuper Tertiarii mendicantium in communitate viventes; Eremitae inservientes alicui Ecclesiae, aut Eremitorio cum habitu religioso, et sub regula, ex licentia, et speciali obedientia Episcopi (3).

41. *Quotuplici ex capite quis ab hac excommunicatione excusari possit?*

Ex sequentibus: 1. in percussione cum moderamine inculpatae tutelae; 2. in ignorantia facti; 3. in casu fortuito, aut in actu primoprimo; 4. in per-

(1) Etsi haec excommunicatio videatur expressa sub verbis ferendae sententiae: scilicet, *Anathematis vinculo subjaceat*, tamen ex consuetudine uti latae sententiae habetur; et ex Clemente VIII. posita est inter casus specialis mentionis; qui quidem sunt excommunicationis latae sententiae. Ut autem percussor Clerici, vel Monachi sit vitandus, percussio debet esse notorie perpetrata: nempe facta coram pluribus: ex Conc. Const.

(2) Ex Cap. *Cum quis* de sent. excomm. in 6. Mandantes, et consulentes incurrunt secuta percussione ex Cap. *Mulieres*, de sent. excomm. Habitualiter, idest in somno, in ebrietate.

Incurritur etiam haec excommunicatio, quamvis Clericus, vel monachus consentiat in sui percussionem; quinimo ipse Clericus vel Monachus se ipsum percutiens ex ira, incidit: ut ex Cap. *Contingit* 36. de sent. excomm. Nam hic canon est factus in favorem totius status Ecclesiastici; ideoque non potest renuntiari, et ejus normam ipsi quoque Clerici debent in seipsis observare.

(3) Ex cap. *Cum contingat.*, et ex aliis.

cussione Clerici expoliati privilegio canonis ; 5. in percussione moderata , et causa correctionis facta a Praelato , magistro , patre (1) ; 6. in percussione in incontinenti facta ab illo , qui invenit Clericum turpiter agentem cum matre , aut uxore , aut sorore, aut filia ejus ipsius ; 7. in percussione facta a muliere ad defendendam suam pudicitiam (2).

De Suspensione.

42. *Quid et quotuplex est suspensio?*

Est censura Ecclesiastica , qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus Ecclesiasticos , quamvis sibi proprios. Multiplex est : vel ab Ordine, vel a jurisdictione , vel ab utroque. Deinde aut ab officio , aut a beneficio , aut ab utroque. Insuper potest esse a jure , vel ab homine ; totalis , partialis , perpetua et temporalis (3).

43. *Quotuplicis generis sunt suspensi?*

Duplicis generis : vitandi , et tollerati , uti dictum est de excommunicatis , n.° 15.

44. *Qui est suspensus ab Ordine inferiori , estne etiam suspensus ab Ordine superiori?*

Maxime : dummodo hoc non sit mera poena; non vero contra.

45. *Actus a suspenso eliciti suntne validi?*

Si sunt actus solius Ordinis, sunt validi ; si actus

---

(1) Attamen tam pater , quam magister non potest percutere constitutum in sacris.

(2) Ex multis juris locis apud Fulco Tom. 4. p. 68 adnotatis. Quinam possit ab hac excommunicatione absolvere in quibusdam casibus , dictum est in tractatu de Poenitentia n. 120. et in nota 3. ad n. 121. Attamen sciendum , quod Praelatus Regularis potest absolvere Religiosum percutientem alterum Religiosum ipsius claustri. Episcopus potest absolvere Monialem aliam Monialem percutientem , impuberes , et legitime impeditos adire Romam.

(3) Suspensio differt ab excommunicatione ; quia suspensio afficit solum Clericos , excommunicatio etiam laicos ; excommunicatio privat communione fidelium , non ita suspensio.

jurisdictionis, sunt tantum validi a suspenso tollerato eliciti (1).

46. *Suspensus remanetne tali censura innodatus, si exeat a territorio Superioris?*

Maxime; quia contracta censura sequitur personam.

47. *Quomodo tollitur suspensio?*

Per absolutionem a quocumque Confessario, si non est reservata. Si est pure poena tollitur per dispensationem ejus, qui habet hujusmodi jurisdictionem. Tollitur autem per lapsum temporis, per conditionis eventum, si est temporalis, vel conditionata (2).

De Interdicto.

48. *Quid et quotuplex est interdictum?*

Est censura Ecclesiastica, qua prohibetur participatio quorumdam Sacramentorum, celebratio et assistentia omnium divinorum officiorum, et sepultura Ecclesiastica. Multiplex est: locale, personale, et mixtum: prout locum, aut personam, aut utrumque afficit (3).

49. *Quinam sint effectus Interdicti?*

Sequentes: scilicet privatio usus activi et passi-

(1) Suspensus ab Ordine indirecte non potest elicere illos actus jurisdictionis, qui pendent ab Ordine: uti absolvere, ordinare etc. Potest Parochus assistere matrimonio, Episcopus dare litteras dimissoriales etc. Sic suspensus a jurisdictione non potest exercere actus Ordinis pendentes a jurisdictione. Suspensus ab officio non potest valide recipere beneficium, quod tali officio est adnexum. At aliud sentiunt aliqui ex Cap. *Dilectus*, de consuetud.

(2) De poena irregularitatis, in quam incidunt violatores suspensionis per exercitium Ordinis superioris, dicendum est, quando de irregularitatibus sermo erit.

(3) Ex Cap. *Si civitas*, et ex Cap. *Si sententia*. De sent. excom. in 6. Interdicta civitate etiam suburbia interdicuntur; non e converso. Sic interdicta Ecclesia, etiam coemeteria et capella adnexa interdicitur. Interdicto populo non interdicitur clerus; et sic viceversa; item de Religiosis; et Clero. Ex cit. capitibus.

vi quorumdam Sacramentorum; privatio divinorum officiorum, et privatio sepulturae Ecclesiasticae (1).

50. *Quaenam Sacramenta possint administrari tempore Interdicti?*

Sacramentum Baptismi, Confirmationis, Poenitentiae, et Eucharistiae per modum viatici (2). At in loco specialiter interdicto, vel personis specialiter interdictis, vel danti causam interdicto, non possunt alia Sacramenta administrari, nisi tantum Poenitentia, et Viaticum praestita satisfactione, vel cautione jurata (3). A specialiter autem interdicto non possunt Sacramenta administrari extra extremam necessitatem.

51. *Licetne officia Divina celebrare tempore interdicti generalis?*

Maxime, ex Cap. *Alma Mater*; dummodo fiant januis clausis, submissa voce, sine sonitu, et exclusis personaliter interdictis, et dantibus causam interdicto. Ita etiam Missa celebrari potest in loco specialiter interdicto semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam (4).

52. *Quaenam sint poenae contra violatores interdicti?*

Praesumptuose violantes interdictum incidunt in excommunicationem Papae reservatam. Clerici et Religiosi simpliciter violantes interdictum per exercitium Ordinis majoris, incidunt in irregularitatem; si vero violant interdictum per celebrationem divinorum officiorum, incidunt in inhabilitatem ad electionem acti-

(1) Ex cap. *Alma mater*, 24. de sent. excomm. in 6.

(2) Ex citato cap. *Alma mater.*

(3) Ex cit. cap. *Alma mater*; et ex cap. *Permittimus* de sent. excomm. Matrimonium potest administrari sine solemnitate. Probabilius possunt clerici, qui non celebrant, sumere Eucharistiam. Potest etiam extrema unctio administrari moribundo, quando aliud Sacramentum non potest suscipi.

(4) Ex cap. *Permittimus*, de sent. excom. Interdictum suspenditur in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi cum octava, Assumptionis, et Conceptionis B. Mariae Virginis cum octava: ex Cap. *Alma mater*, et ex aliis concess. Pontificum.

vam, et passivam. Item non interdicti, si admittunt laicos interdictos ad divina officia, incurrunt in interdictum ab ingressu Ecclesiae ad arbitrium illius, qui posuit interdictum (1).

53. *Quinam possint absolvere ab interdicto?*

Ab interdicto generali, vel locali, vel speciali personali ab homine, aut reservato, potest absolvere ille tantum, qui habet jurisdictionem in foro externo. A speciali personali non reservato, potest quicumque Confessarius absolvere, praestita satisfatione.

De interdicto ab ingressu Ecclesiae, et de cessatione a divinis.

54. *Quid est interdictum ab ingressu Ecclesiae?*

Est censura Ecclesiastica, qua quis privatur celebratione, et assistentia divinis officiis, et sepultura in Ecclesia. Hinc non privatur in Oratorio privato, vel publico. Item potest in Ecclesia recipere Sacramenta, et adesse; dummodo non assistat, saltem formaliter.

55. *Quid est cessatio a divinis?*

Est prohibitio Ecclesiastica clericis imposita, ne divina officia in aliquo loco celebrent ob gravissimam injuriam illi loco illatam. Hinc effectus hujusmodi cessationis sunt prohibitio divinorum officiorum; et privatio quorundam Sacramentorum (2).

De Irregularitatibus.

56. *Quid, et quotuplex est irregularitas?*

Est impedimentum canonicum impediens susce-

---

(1) Ex Clementina *Gravis*, et ex pluribus locis apud Fulco t. 4. p. 85. adnotatis.

(2) Quod dictum est de interdicto locali quoad Missae celebrationem ad renovandam Eucharistiam, quoad administrationem Sacramentorum, et suspensionem interdicti; idem dicito de cessatione a divinis. Advertendum tamen, quod violantes hujusmodi prohibitionem non incurrunt irregularitatem, quia cessatio a divinis non est censura.

ptionem Ordinum Ecclesiasticorum, eorumque exercitium. Et duplex est: ex defectu, et ex delicto. Prima contrahitur sine culpa; secunda ex culpa gravi (1).

57. *Potestne irregularis initiari saltem prima tonsura?*

Minime: quia id sub gravi prohibitum est. An possit valide conferri beneficium irregulari, litigant DD. (2).

58. *Licetne irregulari exercere munera Ecclesiastica, quae etiam a laicis exerceri possunt?*

Maxime; quia non sunt ei prohibita. Insuper potest ea, quae sunt purae jurisdictionis, sine actu Ordinis exercere (3).

59. *Ex quibus delictis contrahitur irregularitas?*

Ex sequentibus delictis: 1. ex homicidio, vel mutilatione; 2. ex iteratione Baptismi; 3. ex violatione censurae per exercitium Ordinis majoris; 4. ex illicita Ordinum susceptione; 5. ex haeresi, et infamia.

60. *Ex quonam homicidio contrahitur irregularitas?*

Ex homicidio voluntario, mixte casuali, et dubio (4).

---

(1) Irregularitas non potest imponi, nisi a jure communi.

(2) Rationabilius videtur nulla esse collatio hujusmodi; quia beneficium propter officium. At qui est impos ad officium, est etiam ad beneficium. Cap. ult. de rescrip. in 6. et ex Trid. sess. 24. cap. 3. de Reform. Certum est autem, irregularem non privari fructibus beneficii ipso jure, si per alium officium praestet ex Cap. *Ex litteris* de exces Praelat.

(3) Uti esset canere in Ecclesia, ministrare Missae privatae; item delegare aliis administrationem Sacramentorum.

(4) Hanc irregularitatem contrahunt etiam mandantes, consulentes, auxiliantes, cooperantes. Contrahitur autem irregularitas secuta morte. Adi Fulco tom. 4. p. 94. ubi fusius.

Dans operam rei licitae, ex qua praeter suam intentionem, nimirum post adhibitam sufficientem diligentiam, homo perit, homicidium mixte casuale minime committit; ideoque nec irregularitati subjicitur: uti si quis equitando aliquem allisit. etc. Vide D. Lig. L. 7. n. 38. Secus vero dicendum est, ex cap. *Tua nos.* de homic. de eo, qui dat operam rei

61. *Ex quonam mutilatione oritur irregularitas?*

Ex injusta, et voluntaria mutilatione: uti patet ex Clementina unica *Si furiosus* de homic. (1).

62. *A quibus contrahitur irregularitas ob iterationem Baptismi?*

A scienter rebaptizato; a ministro assistente, seu Acolytho (2); et communius etiam a rebaptizante. Haec irregularitas est totalis pro rebaptizato; pro A-

---

illicitae, per se periculosae, et influxivae mortis: ut est in venatione clamorosa, in bello injusto, etc.; quia hic indirecte vult homicidium.

Qui in bello justo defensivo aliquem peculiarem propria manu occidit, fit irregularis. Alii contra sentiunt apud D. Lig. L. cit. n. 459. In bello autem justo offensivo tantum ille irregularis evadit, qui occidit, etsi indiscriminatim occidat. Dummodo venerit illuc animo praeliandi. Clericus in sacris, vel Beneficiatus si militet in bello, fit irregularis, si aliquem sclopum adhibuerit in aliquo conflictu, vel bombas emiserit; etiamsi juret, se ne unum quidem laesisse. Apud Bened. XIV. Inst. 101. n. 19. Istae irregularitates sunt potius defectu perfectae lenitatis D. Lig. L. 7. n. 459. Demum in bello injusto, quando unus occidit, omnes fiunt irregulares.

(1) Quod dicitur de homicidio, idem jura decernunt de vera mulitatione: scilicet, de obtruncatione alicujus membri corporis, quod speciale habet officium in corpore. Insuper ex jure fit irregularis, qui seipsum mutilat, vel faciem deformat, aut procurat suam mutilationem sine juxta causa. Qui partem alicujus digiti sui absciudit, quamvis id proprie mutilatio non sit, tamen irregularis efficitur ob saevitiam. Item qui membrum exiccatum mutilat: id colligitur ex variis juris locis apud Fulco Tom. 4. p. 99.

(2) Ex cap. *Confirmatum* q. 10. Ex cap. *Ex Litterarum*, de Apostatis, et reit. baptis. Ut acolythus contrahat hanc irregularitatem, Baptismus debet esse publicus, uti ex cap. *Litterarum.* An etiam id requiratur pro rebaptizante, et rebaptizato, quaestio. Qui sub conditione baptizat, non contrahit irregularitatem. Susceptio Baptismi collati sine necessitate ab haeretico sic declarato, aut voluntaria dilatio Baptismi usque ad periculum mortis, inducit irregularitatem: ex Cap. unic. *Si quis in aegritudine* dist. 57. Denique Neophyti sunt irregulares usquedum Episcopus non declaret, non esse amplius Neophytos: ex cap. *Eos, qui* de Consecrat.

colytho, et rebaptizante impedit tantum ascensum ad Ordines.

63. *Quandonam incurritur irregularitas ex violatione censurae ?*

Quando quis ligatus censura, seu excommunicatione majori vel suspensione ab Ordine, vel interdicto, solemniter, aut ex officio exercet actum Ordinis majoris (1); et quando quis in loco generaliter interdicto celebrat sine conditionibus indictis a Cap. *Alma mater*.

64. *Irregularis exercens actum Ordinis majoris fitne denuo irregularis ?*

Minime: etsi graviter peccet: quia irregularitas non parit irregularitatem.

65. *Quinam fiant irregulares ex illicita Ordinum susceptione ?*

Illi, qui furtive ordinantur, irregulares fiunt, quatenus ad Ordines ulteriores ascendere non possunt. Item illi, qui eodem die suscipiunt duos Ordines sacros; et qui ligati matrimonio, etiam non consummato, recipiunt Ordines sine licentia uxoris (2).

---

(1) Idque colligitur a DD., scilicet Bonacina, Laymann etc. apud D. Lig. lib. 7. n. 358.; qui Cap. *Clerici* 3. de cleric. excom. ministr. interpretantur de violatione censurae per exercitium Ordinum majorum, non vero Ordinum minorum. Solemniter exerceri dicitur Ordo, quando exercetur cum solemnitate, et caeremoniis, quae tantum a Clericis in Sacris fieri possunt: uti esset canere Epistolam cum manipulo, Evangelium cum stola. Ex officio exerceri dicitur, quando exercetur ille actus Ordinis majoris, qui tantum clericis in Sacris constitutis competit, etiamsi id fiat sine solemnitate: uti celebrare Missam sine stola, absolvere, benedicere sine sacris paramentis, uti dicere *Dominus vobiscum* in publica recitatione officii, etc. In hisce requiritur delictum, seu culpa gravis, externa, et consummata. Hinc non incurritur, si exerceatur ex ignorantia invicibili, ex metu, vel ad avertendum aliquod malum, damnum, puta infamiae, scandali etc.: ex inadvertentia, oblivione etc.

(2) Ex variis capit. apud Fulco Tom. cit. pag. 105. Litigant DD., an contrahatur irregularitas ab eo, qui suspensus ab Ordine, vel interdictus, ascendit ad alios Ordines.

66. *Quandonam incurrat irregularitatem clericus ministrans in Ordine, quem non habet?*

Quando ministrat scienter, serio, solemniter, et ut ex officio (1).

67. *Quid, et quotuplex est infamia?*

Est privatio bonae famae; et duplex est: juris, et facti. Prima, quae imponitur a jure canonico, aut civili, vel ipso jure, vel post sententiam judicis; secunda est, quae incurritur ob publicam notitiam commissi delicti.

68. *Infames tum juris, tum facti, suntne irregulares?*

Maxime: dummodo delictum sit notorium (2).

Attamen ex saniori sententia, quam S. C. Congregatio sequuta est, uti docet Bened. XIV. de Synodo Dioeces. lib. 12. c. 3. n. ult. irregularitas non contrahitur: et hoc ex communiori sententia intelligitur etiam de excommunicato apud D. Lig. L. 6. n. 799. dub. 3. v°. utrum; isti incurrunt suspensionem Papae reservatam. Item litigant Theologi utrum irregulares fiant, qui ordinantur ante aetatem, vel extra tempora, vel per saltum, vel furtivo titulo, vel ab Episcopo excommunicato, suspenso, haeretico; aut ab eo, qui Episcopatui renuntiavit. Tandem utrum irregularis evadat laicus exercens actum proprium alicujus Ordinis, quaestio. Lege D. Lig. lib. 7. 359. et seqq.

Excommunicatus ob publicam Clerici percussionem recipiens Ordinem, si est Regularis, remanet suspensus; si clericus saecularis, deponendus est: ex Cap. *Cum illorum* de sent. excom. Item suspensus remanet, qui furtive Ordinem recepit, si lata sit excommunicatio contra id facientes: ex cap. *Veniens* de eo qui Ordinem furtive.

(1) Communiter DD. ex cap. 1. et 2. de Clericis non ordinatis ministr. *Scienter* quando factum aliquid non fit ex ignorantia; *serio*, idest non ex joco, mimico more; *ex officio*, quando exercetur ille actus, qui non potest exerceri ab eo, qui caret tali Ordine, uti dictum est n. 63.

(2) Ex cap. *Ex tenore*. de temp. Ordinat. Delicta, quae ipso jure pariunt infamiam, sunt: lenocinium, crimen laesae majestatis, perjurium in judicio, haeresis, sodomia, raptus mulieris, incestus, duellum: ex Cap. *Infames* 6. q. 1. Delicta, quae talem infamiam pariunt post sententiam judicis, sunt: homicidium, adulterium, proditio, crimen falsi, rapina, furtum etc.

69. *Quomodo tollitur infamia?*

Infamia juris per dispensationem; infamia facti per publicam constantem emendationem: quae etiam per Baptismum tollitur.

70. *Estne irrita collatio beneficii facta infami?*

Si fiat infami juris, est irrita ipso facto; si infami facti, potest irritari.

71. *Ex quanam haeresi, notoria, an occulta contrahitur irregularitas?*

Etiam ex occulta: quia ad contrahendam irregularitatem ex haeresi non requiritur infamia (1).

72. *Filii fiuntne infames, proindeque irregulares ob delictum parentum?*

Maxime; et praecipue ob delictum haeresis. Ut incurrant vero hanc irregularitatem filii, et nepotes, requiritur, ut parentes decesserint in haeresi; et probabilius, ut filii vel nepotes nati sint post delictum haeresis (2).

73. *Quinam possint dispensare in irregularitatibus ex delicto?*

In irregularitatibus ex delicto publico solus Pontifex potest dispensare; ex occulto, et nondum ad forum contentiosum deducto, etiam Episcopus, excepto homicidio voluntario: ex Cap. *Liceat.* Trid. (3).

(1) Ipsi haeresi est adnexa irregularitas; ideoque etsi sit occulta, parit irregularitatem: ita communiter DD., inter quos D. Ligorius lib. 7. cap. 1. de censuris n. 76. ex cap. *Haeretico* in 6. et canone *Saluberrimum* 1. q. 7. Jura enim non distinguunt irregularitatem inter haeresim occultam, et publicam. — Sunt etiam irregulares Apostatae a fide, et fautores haereticorum ex cap. 2. de Haereticis in 6.

(2) Ex Cap. *Statutum* 15. de haeretico in 6. Si mater est haeretica, soli filii sunt irregulares. Nepotes enim intelligantur ex linea masculina.

(3) Episcopus potest etiam dispensare in homicidio occulto mixte casuali; et secundum aliquos etiam in eodem publico pro Ordinibus minoribus. An dispensare possit irregularitatem ex delicto haeresis occultae, quaestio. At ex D. Ligorio cum aliis potest. Vide loc. supra cit. Circa irregularitatem ex infamia potest Episcopus dispensare, ut infamis ministret in susceptis Ordinibus, quando delicta sunt minora adulterio, et acta fuerit poenitentia, ex Cap. *Si Clerici.*

74. *Quotuplici ex capite contrahitur irregularitas ex defectu?*

Ex multiplici capite: scilicet 1. ex defectu Sacramenti, seu ex bigamia; 2. ex defectu perfectae lenitatis; 3. ex defectu corporis; 4. ex defectu animae; 5. ex defectu libertatis; 6. ex defectu natalium; 7. ex defectu aetatis.

75. *Quid et quotuplex est bigamia?*

Est multiplicatio matrimonii (1); et triplex est: vera, interpretativa, et similitudinaria. Vera habetur, quando contrahitur matrimonium cum pluribus successive, et consummatur. Interpretativa, quando matrimonium contrahitur cum vidua, vel cum corrupta ab alio. Similitudinaria, quando quis solemni voto ligatus attentat contrahere matrimonium, et consummat. Unaquaeque parit irregularitatem (2).

76. *Quaenam sunt capita bigamiae interpretativae?*

Sequentia: 1. quando contrahitur matrimonium, et consummatur cum vidua, vel cum corrupta; 2. quando quis accedit ad propriam uxorem ab alio cognitam tempore matrimonii, 3. quando contrahitur matrimonium validum cum una, et alterum matrimonium nullum cum alia, vel ambo nulla, et consummantur; quia tunc habetur affectus ad duo matrimonia (3).

---

(1) Dicitur bigamia vel digamia, defectus Sacramenti, quia matrimonium in lege nova cum repraesentet unionem Christi cum Ecclesia, idest cum una, et virgine; haec repraesentatio non habetur in matrimonio per bigamiam contracto, et consummato.

(2) Ex toto titulo de bigamis, et ex Trid. sess. 23. cap. 17. de Reform.

(3) Ex variis juris locis apud Fulco tom. cit. p. 113. Adde etiam, quando contrahitur matrimonium scienter cum vere serva. Litigant DD., an fiant irregulares, qui matrimonium secundum contrahunt illusorie ad extorquendam copulam; qui cum vidua nulliter contrahit, et consummat. Certum est, non fieri irregularem, qui cum vidua contrahit a primo viro non cognita, vel cum foemina a semetipso corrupta; neque qui fornicatur ante matrimonium, vel adulteratur in matrimonio; quia in hisce casibus non habetur ex

77. *Quinam potest dispensare in hac irregularitate?*
In bigamia vera, et interpretativa tantum Summus Pontifex; in similitudinaria cum virgine, potest Episcopus, peracta poenitentia (1).

78. *Quinam contrahunt irregularitatem ex defectu perfectae lenitatis?*
Omnes baptizati voluntarie, et proxime concurrentes, licet juste, ad necem vel mutilationem determinatae personae ob vindictam, effectu secuto (2). Contrahunt etiam hanc irregularitatem clerici in sacris constituti exercentes chirurgiam cum incisione et adustione (3).

79. *Quinam potest dispensare in hac irregularitate?*
Tantum Summus Pontifex.

80. *Ex quonam corporis defectu irregularitas contrahitur?*
Ex defectu alicujus membri, vel officii alicujus membri necessarii ministerio corporis (4); ex defectu sexus masculini, uti in hermafrodito, et voluntarie eunucho; ex notabili deformitate corporis (5); ex de-

---

parte mulieris distractio carnis. Item nec est irrregularis clericus duas concubinas habens: uti ex cap. *Quis*, de bigamis.

(1) Ex cap. 4. de Clericis conjugatis. Haec irregularitas non tollitur per Baptismum, sed exurgit: ita DD. ex cap. *Acutius*, Distint. 26.

(2) Hine sunt irregulares judices, assessores, et omnes ministri justitiae ad necem vel mutilationem concurrentes; etiam testes, etsi obstricti; necnon furcam fabricans pro peculiari persona, ex cap. *Aliquantos* dist. 51.

(3) Ex Cap. *Sententiam*, 9. ne Clerici etc. Non fiunt irregulares domini temporales, etiamsi Ecclesiastici, qui leges ferunt sub poena mortis, vel mutilationis; aut causam sanguinis aliis committunt; nec judex Ecclesiasticus tradens Clericum degradatum brachio saeculari; dummodo pro eo misericorditer intercedat, ut benigne tractetur: non fiunt irregulares accusantes civiliter cum expressa protestatione non intendendi sanguinem; nec tandem chirurgi mutilantes infirmi membrum; quia non ob vindictam.

(4) Uti si quis careat oculo, labiis, pede.

(5) Aut sex digitos habeat, aut aliam monstruositatem, quae horrorem excitat.

fectu sanitatis notabili, vel insanabili (1).

81. *Quinam defectus animae pariat irregularitatem?*

Defectus usus rationis, vel scientiae debitae. Cessante hoc impedimento, cessat irregularitas.

82. *Quinam sint irregulares ex defectu libertatis?*

Sunt mancipia tempore servitutis; Curiales, nempe omnes obligati ad reddendam rationem administrationis, durante officio, et non adhuc reddita ratione (2).

83. *Ex quonam defectu natalium habetur irregularitas?*

Habetur, quando sunt nati ex illegitimo toro (3).

84. *Quinam potest dispensare?*

Summus Pontifex. At Episcopus etiam potest ad Ordines minores, et simplex beneficium; et an possit Episcopus dispensare, ut illegitimus ministret in susceptis Ordinibus, si bona fide fuerit ordinatus, quaestio. Illegitimus potest profiteri in Religione, et ascendere ad Ordines; non vero ad Praelaturas (4).

Finis secundae partis.

(1) Uti si quis laboret paralysi, morbo gallico, lepra, aut magna virium debilitate. Gibbus non tam monstruosus non est irregularis. In omnibus his ad Episcopum pertinet declarare.

Defectus aetatis, ex quo oritur irregularitas, est, quando non habetur aetas requisita ad Ordinem suscipiendum.

(2) Ejusmodi sunt Procuratores, Tutores, Sindaci, Fiscales, Factores etc. Tutores autem non fiunt irregulares, si ex jure cogantur ad agnatorum proximorum tutelas suscipiendas: uti ex Cap. un. de obligatis ad ratiocinia. Item non sunt irregulares, si post Ordinis susceptionem tutelam adeant, vel reddiderint rationem antequam ad Ordines ascendunt: apud D. Lig. L. 3. n. 838.

(3) Non sunt irregulares legitimati per subsequens matrimonium, vel per absolutam legitimationem a Summo Pontifice concessam. Nec etiam nati ex matrimonio invalido, bona fide, saltem ex una parte, celebrato coram Ecclesia praemissis proclamationibus. Ex Cap. *Ex tenore* qui filii sunt legitimi. In dubio illegitimitatis, an contrahatur irregularitas, quaestio.

(4) Cap. 1. *Is*, *qui* de Filiis Presbyt. in 6.

INDEX

SECUNDA PARS.

IN HAC SECUNDA PARTE

ERRATA		CORRIGE
Pag. 27. n. 106.	ad	ab
p. 35. *nota*	libent	libeat
p. 101. n. 126.	ad	ab
p. 133.	testasoris	testatoris
p. 138. *not.* 2.	aseendentes	ascendentes
	alimenla	alimenta
p. 142. n. 16.	captivate	captivitate
p. 147. n. 17.	cogoscit	cognoscit
not. 3.	dicuntur	dicuntur
p. 191. n. 190.	repire	redire